S. JOANNIS CHRYSOSTOMI DE SACERDOTIO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI DE SACERDOTIO

DIALOGI SEU LIBRI SEX

In varia capita, ac numeros divisi,
Argumentis, & Notis aucti

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV

PONTIFICEM MAXIMUM

OPERA ET STUDIO

JOSEPHI CATALANI
CONGREGATIONIS ORATORII
S. HIERONYMI CHARITATIS
PRESBYTERI.

ROMÆ, MDCCXL.

Typis Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Beatiſſime Pater.

JAM non auderem iterum, BEATISSIME PATER, *Pontificia tua majeſtate territus, immortali* SANCTITATIS TUAE *Nomini, tenuiſſimi ingenii meii elucubrationes haſce dedicare, niſi me, libroſque meos omnes tanta benignitate excepiſſes, quantam vix magni Viri, eorumque*

Digitized by Google

que præclariſſima opera meruiſſent. At vero quamquam nunc primum Tibi hunc meum qualemcumque laborem in aureos S. Joannis Chryſoſtomi libros de Sacerdotio inſcriberem, neminem fore puto, modo is ſapiat aliquantulum, qui me de eo inſimulare poſſit, quod parvum hocce volumen auſus ſim SANCTITATI TUAE *nuncupare. Quis enim neſcit, id quod præcipua Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita continet, jure ac merito Pontifici Maximo conſecrari? Tuum eſt itaque,* BEATISSIME PATER, *quod offero, tuumque omnino & ratio vivendi, & dignitas ſumma, qua fulges, fecit. Jam diu enim eſt, quod tuis moribus exprimis, quicquid de officio Epiſcopi aureus Chryſoſtomi calamus in hoc volumine expreſſit. Notum profecto omnibus eſt, quanta prudentia, & vigilantia, quanta charitate, ac pietate, quanta demum conſtantia, & animi magnitudine Anconitanam primum, tum Bononienſem Eccleſiam rexeris: conſtanſque eſt omnium judicium, Te peculiari Spiritus Sancti influxu, repetita Eccle-*

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ Catholicæ vota exaudientis, ad ſupremi Pontificatus apicem evectum, ut vigorem ſanctioris diſciplinæ langueſcentem erigeres, primævoſque Chriſtianæ Religionis ſpiritus mollitie populorum, ſive incuria Præſulum conſopitos excitares. Id quod initio ſupremi regiminis SANCTITAS TUA *jam ſatis oſtendit, ubi eligendis Epiſcopis, quinque lectiſſimos S. R. E. Cardinales zelo domus Dei, ceteriſque virtutibus apprime ornatos, Ruffum, Picum, Bellugam, Firraum, & Lanfredinum præpoſuit; qui ſcilicet vitam, mores, & merita præficiendorum Eccleſiis diligenter, atque accurate perpenderent, eoſque omnino contemnerent, qui ſe commendarent, ac ſumma nonniſi temeritate idoneos ſe ad onus ferendum Angelicis humeris formidandum judicarent. Sic ergo ſublata ambitioſis hominibus ſpe aucupandi obſequio, aliiſque artibus Epiſcopatus, par credere eſt, ut nonniſi Sacerdotibus probis, ac doctis, & ab ea dignitate longe alienis, ut mos fuit antiquus, ad Eccleſiarum præfecturas evectis, priſtino*

ſuo ſplendori Chriſtiana Catholica Religio reſtituatur . Fateor equidem , BEATISSIME PATER , *me ceteroqui omnium minimum, poſt tot immenſos ſane labores editioni Romani Pontificalis , aliarumque mearum elucubrationum impenſos , eam potiſſimum ob cauſam edidiſſe hunc librum , quod certo ſperem , Te Pontifice Maximo , qui tantopere ad reformandos Cleri , ac populi mores incumbit , multum utilitatis non modo Presbyteris , ſed & Epiſcopis ipſis eſſe allaturum , modo in ea lectione verſentur , & ad ea ſerio attendant , quæ S. Doctor Chryſoſtomus mirabili doctrina , atque eloquentia inſinuat* : Nullum enim, *ait* (*a*) *Iſidorus Peluſiota* , nullum , inquam , pectus hujus lectio penetravit , quod non divino amore ſauciarit : venerandam quippe rem , atque aditu difficilem Sacerdotium eſſe demonſtrat , ejuſque rite adminiſtrandi rationem docet . Nam Dei arcanorum ſapiens ille interpres Joannes , Byzantii Epiſcopus , atque adeo totius Eccleſiæ oculus , librum illum tam ſubtiliter , &

[*a*] Lib. 1. Epiſtola 156. ad Euſtachium . ac-

accurate concinnavit, ut omnes tam, qui ſecundum Dei placitum, quam qui negligenter Sacerdotio funguntur, hic tum virtutes, tum reprehenſiones ſuas repræſentatas inveniant. *Precor itaque*, SANCTITATEM TUAM, *ut hoc aureum Chryſoſtomi munus, quod offero, ſive, ut rectius loquar, quod ſponte ſua ſe offert, ſolita cum benignitate excipiat, & ſi quid in Notis commiſſum eſt, parvitati ingenii Authoris ignoſcat, qui quidem id unum ſibi gloriæ ducit, perpetuum otio bellum indicere, atque aſſidue, ſine ulla penitus requie, labores ſuſcipere, quos Eccleſiæ, ejuſque miniſtris utiles cenſet, & a ſuo inſtituto non alienos. Faxit Deus, ut* SANCTITATEM TUAM, *cui ſtudia mea jam maucipavi, iterumque nunc mancipo, eademque æternum mancipaturus, univerſæ Eccleſiæ bono, atque incremento, ad multos annos incolumem ſervet.*

SANCTITATIS TUAE.

Servus humillimus, & obſequentiſſimus
Joſephus Catalanus.

Digitized by Google

IN LIBROS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI *DE SACERDOTIO*

Editoris præloquium ad Lectorem.

§. I.

Unde nata Editori occasio edendi, hosce Chrysostomi libros in lucem.

QUUM inter alia collata Ecclesiæ nostris hisce temporibus a Deo Optimo Maximo beneficia, unum & quidem maximum censeatur, electio Benedicti XIV. ad universæ Ecclesiæ regimen, non sine peculiari Spiritus Sancti influxu, unanimi S. R. E. Cardinalium consensione peracta, isque statim ac manum regimini admovit, animadvertens, corruptos Cleri, ac populi mores ad deteriora in dies prolabi, ac magis magisque augescere, incuria Præsulum, ut tanto malo occurreret, eligendis Episcopis, quinque lectissimos S. R. E. Cardinales præposuit: rem me gratam facturum censui, tum prædicto Romano Pontifici, tum ipsis Purpuratis Patribus, tum demum sacris hominibus, si S. Joannis Chrysostomi libros de Sacerdotio typis committerem, in capita, ac numeros dividerem, Argumentis, ac Notis augerem, nimirum ut sacri homines facilius ad eam lectionem allicirentur. Quantæ enim utilitatis sit ea lectio, jam olim satis expressit Isidorus Pelusiota, aliique prisci Patres edocuere, qui libros ipsos summopere commendarunt, legendosque tum Episcopis, tum etiam Presbyteris proposuerunt. Certe, ut alios omittam,

S. Ca-

Digitized by Google

S. Carolus in Concilio ſuo Mediolanenſi Provinciali I. agens de libris, qui potiſſimum a Clericis legendi ſunt, hortatur Parochos, *ut in lectione Paſtoralis S. Gregorii, & S. Joannis Chryſoſtomi de Sacerdotio verſentur*. Ceterum laudatus Peluſiota de hoc libro S. Chryſoſtomi loquens, *Nullum*, ait, *nullum, inquam, pectus hujus lectio penetravit, quod non divino amore ſauciarit: venerandam quippe rem, atque aditu difficilem Sacerdotium eſſe demonſtrat, ejuſque rite adminiſtrandi rationem docet*. Poſtquam ergo nos in Epiſcoporum gratiam Romanum Pontificale edidimus commentariis illuſtratum, tametſi occupati editioni alterius Tomi Commentariorum in alia quatuor Concilia œcumenica, quæ in Oriente celebrata ſunt, enarraturi deinde cetera, quæ habita in Occidente fuere, non nihil tamen temporis libenter impendimus editioni memoratorum librorum, ut eſſent velut appendix præfati Pontificalis Romani, & in eis non modo Epiſcopi, qui negligenter Sacerdotio funguntur, ſed & Presbyteri quoque, qui ad Epiſcopatum aſpirant, eumque ambiunt, reprehenſiones ſuas repræſentatas inveniant.

§. II.

Quam ob cauſam libros de Sacerdotio S. Chryſoſtomus ſcripſerit, & quod eorundem argumentum.

Eximii operis argumentum ex ipſo ejus proœmio deſumitur, quod quidem præter alios multos jam olim deſcripſit ejus interpres Germanus Brixius, cujus verſione eo nos plane conſilio uſi fuimus, quod iterum atque iterum typis fuerit commiſſa, eamque Scriptores plurimi, ubi ſe illis dedit occaſio, paſſim citent. Ergo ſanctus Joannes Chryſoſtomus, & Baſilius, etiam dum adoleſcentes & condiſcipuli cum maximo-

Digitized by Google

maximopere inter se amarent, animisque mire convenirent, iisdem studiorum sacris jam inde apueritia initiati, paciscuntur, jurantque vitæ sibi reliquæ commune contubernium. Ad quod dum se se accingunt, ecce exortus rumor quidem disseminat, fore, ut uterque jam tum ad Sacerdotale Episcopaleque munus eligeretur. Hic Basilius cum Chrysostomo de ea re communicat, a quo facile per amicitiam impetrat, ut eandem consiliorum rationem, eandem item fortunæ, honorumque aleam unanimes sequantur, neve alter ab altero, quocumque casu emergente, unquam deseratur. Verum quum paulopost uterque ad id, quod dixi, munus, posthabitis aliis conpluribus, cunctisque suffragiis electus fuisset, se se Chrysostomus, Basilio interim a suis suffragatoribus ad eum honorem pertracto, occultat, delatum ad se munus deprecatus. Tum demum Basilius a Chrysostomo proditum se se animadvertens, neque enim ille pactis, promissisque steterat, ad eum primo quoque tempore adit; quicum dum verba facit, expostulat primum, quod fidem sibi datam violaverit: tum vero rogat, causam ut dicat, qua adductus delatum Sacerdotium repudiaverit.

Itaque Chrysostomus se Basilio primum purgat, ostendens bona fide, atque adeo ex usu Christiani gregis illum a se circumventum: deinde haud se alio nomine occultasse, dignitatemque oblatam recusasse docet, nisi quod imbecillitatis suæ conscius intelligeret humeros suos tanto oneri ferendo pares non esse: interim copiosissime simul, atque elegantissime declarans, quam multæ sit dignitatis, sed quam difficile tamen Episcopum vere agere: quem ipsum talibus coloribus ille depingit, tot, ac tantis virtutibus perpolitum esse vult, ut siquis hodie Episcopis nostris (verba sunt laudati Brixii) talem depingere velit, despe-

ream,

Digitized by Google

ream, nisi futurum sit, ut cum sua tabula, ut delirus rideatur, atque exsibiletur. In tantum enim seculi nostri mores a priscæ ætatis moribus degenerarunt, ut bona Episcoporum nostratium pars (neque enim de omnibus id a me dictum esse velim) non solum non laborent, ut tales ipsi sint, quales esse deberent, verum etiam ex professo animi sui imaginem diversissimam reddere studeant ab ea Episcopi imagine, quam nobis S. Chrysostomus hac quidem in parte penicillo suo artificiosissime, atque elegantissime expressam reliquit. Quos ipsos tamen optarim ex tam alto illo otio, eoque veluti sedentario, in quo assidue desides, inertesque vitam transigunt, descendere nonnunquam ad Chrysostomi aureum opus hoc lectitandum, vel ut vitæ anteactæ pœnitentia tandem conpuncti id ipsum parte saltem aliqua præstare curent, quod præstare illos oportere voluit Chrysostomus, author talis, cui refragari nefas fuerit: vel quo nullum illis supplicium gravius fore puto, infelices perpetuo obstinatique virtutem videant, intabescantque relicta.

§. III.

Quis fuerit is Basilius, cum quo Chrysostomus in hisce de Sacerdotio libris disputat?

Errat in hoc Brixius, itemque Erasmus, aliique eos sequuti, ante omnes vero Socrates lib. 6. cap. 3., qui Basilium Magnum esse putant, cum quo in libris de Sacerdotio loquutus est Chrysostomus. Sed hanc opinionem, ut scite notat lib. 2. *Sacrarum Observationum*, cap. 3. eruditus Jacobus Billius, falsam omnino esse perspicue constat vel ex ipsis libris, a quibus in eam sententiam inducti sunt. Nam, ut scitissime observat etiam Baronius ad annum Christi

sti 382. agebat jam septimum annum in Episcopatu Cæsarienſi Basilius, cum iste junior creatus est, ut ex temporum exacta ratione habita perspicue licet inspicere. Sed & cum attestatione Chrysostomi constet, Basilium juniorem eo tempore, cum creatus est Episcopus, non excessisse ætatem annorum viginti duorum (æquales enim erant) quomodo fingi potest, hunc illum esse Basilium ætate senem, qui & post sequentem annum ex hac vita migrasse Baronius ipse affirmat? Ceterum & cum ipse Chrysostomus de juniore Basilio dicat, eadem illum, qua se, patria esse natum, nempe Antiochiæ, facultatibus pauperem: quam longe discrepat ab illo Magno, Patria Cæsarienſe, quem prædivitem fuisse, Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyssenus affirmant? Vel quid conveniens, ut Basilius Cæsarienſis Antiochiæ electus esset ab Episcopis Syriæ, sicut junior iste, de quo Chrysostomus scribit? Vel cum constet, Basilium hunc eremum cogitantem, esse electum, Basilium vero Magnum liqueat, postquam cum Gregorio Nazianzeno eremum incoluisset, vocatum esse ad Episcopatum?

Sed & gravi quoque illi detinentur errore, inter quos Photius, & alii non pauci Authores, qui putant, esse Basilium Seleucienſem, qui [illegible], ut notat post Baronium eruditissimus Bernardus de Mont Faucon Monachus Ordinis S. Benedicti in suo ad libros hosce de Sacerdotio Monito, anno 372. vix natus erat, quandoquidem anno 451. Synodo Chalcedonenſi Episcopus interfuit, & anno 458. Imperatori Leoni scripsit. Neque insuper & gravis ille aliorum Scriptorum error ferendus est, qui putant Maximum Chrysostomi amicum, eumdem esse, atque Basilium in his de Sacerdotio libris memoratum. Nam quorsum illa nominum tam dissimilium commutatio?

Omni-

Digitized by Google

Omnibus itaque accurate perpenſis veriſimillimum eſt, quod innuit Baronius, & laudatus Monachus Benedictinus expreſſe affirmat, Baſilium eum eſſe, qui Synodo Conſtantinopolitanæ anno 381. Epiſcopus Raphaneæ ſubſcripſit, ſiquidem tempus apprime quadrat. Raphanea in Syria prope Antiochiam ſita erat: commodus ſane locus, ut Joannis Chryſoſtomi frequenti colloquio, imo etiam contubernio frueretur Baſilius iſte, quod in fine Dialogi ſe peroptare dicit.

§. IV.

Quo tempore libros hoſce S. Chryſoſtomus ediderit, & quantus fuerit ejuſdem zelus, ac animi magnitudo.

Sunt qui autumant, eodem ipſo tempore, quo res cum Baſilio peracta eſt, a Chryſoſtomo ſcriptos fuiſſe. Sed hoc admitti non poteſt. Siquidem vel ipſa ordiendi ratio aliquod tempus elapſum ſubindicat, & ſeries tota rem meditatam, ac in otio adornatam præſefert. Ait Socrates lib. 6. cap. 3. Chryſoſtomum, cum Diaconus eſſet, hos condidiſſe libros, ſcilicet ab anno 381. ad annum 386. quo in Presbyterum adlectus eſt. Palladius vero ſecundum interpretationem latinam Ambroſii Camaldulenſis, in ſeceſſu & ſolitudine hæc illum edidiſſe narrat, ſcilicet ab anno 375. ad annum 381. quo ex deſerto in Urbem rediit. Utra ſit verior ſententia, non equidem affirmaverim. Hoc unum non prætermiſerim, magnum fuiſſe profecto Chryſoſtomum Eccleſiaſticæ diſciplinæ zelatorem, quem utinam Epiſcopi omnes imitarentur. Ita enim acris fuit morum cenſor, abuſuumque ac vitiorum in ſummis pariter, & in infimis gravis caſtigator, ut nullus in eo potentiæ, damni, exilii, imo

imo & mortis metus conſtantiam illius Epiſcopalis officii labefactaverit. Sic autem ipſe teſtatur in Epiſtola ad Ciriacum: *Ego cum Civitate pellerer ſic mecum loquebar: Si Imperatrix ſerra me diſſecare vult, diſſecet: Iſaiam pro exemplo habeo. Si me in mare præcipitem dare vult: Jonam in memoriam redigo. Si in fornacem conjicere, tres habeo pueros eodem ſupplicio affectos. Si feris objicere, Danielem habeo objectum leonibus, eumque mihi ob animum propono. Si lapidibus obruere vult, obruat: Stephanum habeo Protomartyrem. Si caput meum occipere, occipiat: Joannem habeo. Si facultates meas ſumere, ſumat: nudus egreſſus ſum de utero matris meæ.*

§ V.

Quo anno tandem Chryſoſtomus ad Presbyteratum primùm, tum vero ad Epiſcopatum evectus, & ubi, & quando diem ſuum clauſerit extremum?

Foro primum deditum fuiſſe Chryſoſtomum, narrat ipſe initio Libri I. de Sacerdotio: e foro in eremum ſeceſſiſſe, & ab eremo ad Clerum evectum, atque ordinatum Presbyterum divina revelatione, & comitantibus ſignis anno 386. affirmat Cardinalis Baronius, qui etiam anno 397. electum fuiſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribit. Ab ea ſede inimicorum invidia, & Eudoxiæ Imperatricis violentia in pſeudoſynodo ad Quercum privatus anno 402. ac in exilium miſſus, a muſſitantis, & conquerentis populi metu revocatus, iterum vero Arcadii juſſu relegatus, tandem poſt paucos Epiſcopatus annos, variis laboribus perſecutionibus, & periculis conſtanter exantlatis in exilio *Commanis* prope Pontum Euxinum feliciter obiit anno ætatis ſuæ 52. vel 53. ſive, ut aliis placet,

Digitized by Google

cet, 60. Christi vero 407. die 14. septembris, ut omnes antiqui Authores testantur apud Baronium in Martyrologio Romano. Celebratur autem ejus Festum die 27. Januarii, quo ejus corpus sub Theodosio juniore, & S. Proclo Episcopo Constantinopolitano Comanis Constantinopolim translatum est, præsertim quod die 14. Septembris Festum exaltationis sanctæ Crucis jam olim celebrari consueverit. Ceterum cœptum est agi Chrysostomi Festum Constantinopoli tempore memorati Theodosii junioris, postquam opera S. Innocentii Papæ nomen ejus, quod per Schismaticos fuerat abrasum a diptychis, Catholica Ecclesia gaudente, est in pristinum restitutum. Multa scitu digna in laudem Chrysostomi videri possunt apud eruditissimum Vincentium Riccardum Clericum Regularem in celebri Commentario ad Orationem XXI. S. Procli Episcopi Constantinopolitani, quam in laudem Chrysostomi scripsit. Sed de Chrysostomi laudibus supervacaneum est scribere: magna siquidem, atque egregia S. Doctoris laus est, ut Theodoreto teste apud Photium num. 828. solus ipse laudator esse queat. Sic autem inquit: *Sola enim tua lingua par est ad enarrandas res tuas.*

IM-

IMPRIMATUR
Si videbitur Rmo Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.
Ph. Spada Ep. Theodoſiæ Viceſg.

APPROBATIONES.

A Pontificali ad Pontificatum calentem adhùc ſtylum, cujus egregiam vim nullus hactenùs abſorbuit pertinax motus, convertit CL. Vir Joſephus Catalanus, Presbyter Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis, ſcilicet ad oppidò aureos S. Joannis Chryſoſtomi Libros *De Sacerdotio* Notis illuſtrandos. Has quidem cùm Reverendiſſimo Patre Aloyſio Nicolao Ridolfi Sac. Palat. Apoſt. Magiſtro jubente, diligenter expenderim, novetimque ne dùm Orthodoxæ Fidei, morumque Pietati omni ex parte conſonas, ſed & ſanctiſſimi Doctoris zelo amuſſim reſpondentes, ac ſacra eruditione refertas, ipſas præfatis Libris adnexas edi in lucem poſſe cenſeo, atque, ut edantur, vehementer exopto. Romæ, ex Ædibus S. Andreæ de Valle IV. Kal. Novembris 1740.

Joſephus Maria de Petio Clericus Regularis ſacrarum Congregationum Indicis, & Indulgentiarum, ſacrarumque Reliquiarum Conſultor, in Urbe Cleri Examinator Apoſtolicus, atque Sereniſſimi AUGUSTI III. *Regis Poloniæ, Electoris Saxoniæ &c. Theologus.*

JUſſu Rmi Patris Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri cum ſumma animi voluptate perlegi Annotationes, quibus S. Chryſoſtomi Libros ſex de Sacerdotio illuſtravit Clariſſimus Vir Pater Joſephus Catalanus, Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter. In iis non modo nihil contra orthodoxa dogmata, moraleſque regulas reperi, verum eruditionem omnigenam non modica pietate conſperſam, qua Authoris conſtans pro ſalute animarum, & diſciplina Eccleſiaſtica zelus, ſicut & ex aliis ab eodem editis Libris, plurimum commendatur: unde typis dignas cenſeo qui dabam in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam hac die 1. Novembris 1740.

Fr. Dominicus Gentis Ord. Præd. Sac. Theol Magiſter, & in Univerſitate Colonienſi Doctor, ac Theologus Caſanatenſis.

IMPRIMATUR
Fr. Nic. Ridolfi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

S. JOANNIS

Digitized by Google

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
DE SACERDOTIO.
LIBER I.
CAP. I.

Arctissima amicitia inter Chrysostomum, & Basilium contracta, & unde hujus veræ amicitiæ occasiones I. Impar utriusque conditio, cum vita monastica persequenda esset. Chrysostomus adolescens foro deditus, ac scenæ oblectamentorum sectator II.

I. UERE mihi olim amici complures, iidemque veri (*a*) & germani, ac qui amicitiæ leges tum exacte intelligerent, tum diligenter servarent. Horum complurium in numero unus quidem eximia erga nos charitate, ac benevolentia, ita illos exuperare studuit, ut omnes tanto post se intervallo ipse relinqueret, quanto illi reliquos alios, a quibus utcumque amarer, reliquissent. Hic idem ex iis erat, qui lateri meo perpetuo assiderent. Etenim tum eisdem disciplinis, tum etiam præceptoribus iisdem operam uterque dedimus: erat & nobis eadem animi propensio: erat studium par in illas ipsas, in quibus versabamur, literas: præterea idem desiderium

(*a*) Est adeo difficile amicum verum invenire, ut ab Ecclesiastico cap. 25. dicatur: *Beatus, qui invenit amicum verum.* Vere S. Hieronymus in cap. 7. Michææ: *Amicus*, inquit, *diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur.* Quæ sit autem vera amicitia, docet Plutarchus in libro, *De multitudine amicorum*, sic dicens: *Amicitiæ est mores, affectus, sermonem, studia, & animi sensum exæquare.* Talis fuit sancti Joannis Chrysostomi cum Basilio amicitia.

Digitized by Google

iisdem e rebus natum. Neque enim solum quo tempore ad magistros, scholasque condiscipuli ventitaremus, sed etiam quum illinc egressos consilium jam inire oporteret, quam tandem præstaret reliquæ nobis vitæ viam tenere, & hic quoque eadem in nobis animorum conspiratio, eadem concordia apparebat. Erant & alia item, quæ voluntatum nostrarum convenientiam hanc, constantem, inconcussamque servarent. Neque enim ob patriæ amplitudinem, claritatemque alter altero se se plus efferre, ac venditare poterat, neque ego summa divitiarum copia abundabam: ille contra, extrema premebatur paupertate: quinimo facultatum nostrarum modum, consiliorum paritas, ac studiorum æquabilitas æmulabatur. Adde quod & nobis idem generis honos, ac splendor; ut nihil non concurreret ad voluntatum, studiorum, sententiarum consensionem.

II. Postea vero quam eò a nobis ventum est, ut jam oporteret monasticam vitam, beatam illam quidem, ac felicem persequi, ac veræ (*a*) philosophiæ studiis inhærere, jam non hæc erat nobis par eademque statera; nam illius quidem lanx sublimis, ut quæ levior esset, ferebatur; ego vero humanarum rerum cupiditatibus etiamnum abundans, meam lancem deprimens, propendere cogebam, juvenilibus eam aggravans cupiditatibus. Hic amicitia quidem nostra constans stetit, ut antehac, at consuetudo dirempta; neque enim dabatur, ut qui haud in iisdem amplius versarentur studiis, communes inter se congressus haberent. Ceterum ubi & ipse paululum caput a vitæ hujus tempestate exerui, hic nos ambabus ille manibus porrectis exce-

(*a*) Idem Chrysostomus Homilia 17. ad populum Antiochenum, statum monasticum vocat philosophiam a Christo introductam. Idipsum passim & alii sancti Patres docent.

Digitized by Google

excepit. Sed tamen ne ſic quidem priſtinam inter nos æquabilitatem retinere quivimus: etenim, quum nos ille tempore antevertiſſet, tum autem vehementiam, ſtudiumque ad id non modicum attuliſſet, rurſus me ipſo ſublimior ferebatur, in altum admodum ſublatus: idem tamen bonitate ſua, & quod amicitiam noſtram magnifaceret, a ceterorum omnium contubernio ſe ſe abducens, aſſiduus nobiſcum erat: id quod & ante hac deſideraverat; ſed, quod dixi, ab animi noſtri languore prohibitus, aſſequi minime potuerat. Nam quî fieri poſſet, ut qui continenter judiciis, (*a*) ac foro intereſſem, ac (*b*) ſcenæ oblectamenta attonitus ſectarer, frequenti uti poſſem conſuetudine ejus, qui non niſi libris affixus, in forum nunquam ventitaret? Quocirca quum id illi per nos prius nequaquam licuiſſet; ubi primum factum eſt, ut me in communem ſecum vitæ conditionem acciperet, tum demum, quod jampridem deſiderium parturiebat, confertim peperit: ac ne breviſſimam quidem diei partem a nobis abſens fieri ſuſtinuit, nunquam non adhortans, ut domo uterque ſua relicta, una habitaremus; atque id quidem perſuaſit, jamque ea res nobis in manibus erat, quo perficeretur.

A 2 CAP.

(*a*) Vide quid Libanius hac de ipſa re ad Chryſoſtomum hunc noſtrum ſcripſerit apud Iſidorum Peluſiotam lib. 2. epiſtola 42. *Ego igitur eo nomine voluptate affectus ſum, quod ad forenſem operam, in qua artis ſpecimen edis, demonſtrativum quoque dicendi genus adjungis.*

(*b*) Non mirum, ſi tam frequenter in ſcenam, & theatrum S. Chryſoſtomus invehitur, expertus enim jam ipſe fuerat, quanta inde mala proveniant. Nam ut alia ejus loca omittam, Homilia 38. in Matthæum ita inquit: *Unde credis nuptiarum infidiatores proficiſci? nonne ab hujuſmodi ſcenis? unde illos qui domos, ac thalamos aliorum effodiunt? nonne ab orcheſtra illa? an non hinc uxoribus viri moleſtiſſimi, & viris mulieres contemnendæ fiunt?*

Digitized by Google

CAP. II.

Matris Chryſoſtomi blanditiæ ac lamenta ipſum a propoſito vitæ monaſticæ dehortantis I. Ejuſdem ingenium ſolerter & diſerte omnia rationum momenta congerentis, ad permovendum filium, quem ſecum retinere deſiderat II. III. & IV.

I. AT vero aſſiduæ matris illecebræ obſtiterunt, quo minus hac ego illum gratia demererer, ſeu potius quo minus id beneficii illi deberem. Etenim ubi illa ſubodorata eſt, id me conſilii inire, dextra apprehenſum introduxit in peculiare ſibi cubiculum. Hic illa quum me ſibi aſſidere voluiſſet, ſuper eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lacrymarum fontes prorupit, verba etiamnum adjicens, quæ me plus lacrymis illis omnibus ad miſericordiam pertraherent. Porro ejus quidem lamenta ejuſmodi fuere: Patris tui virtute, ac præſtantia, fili, me haud ita multum temporis uti frui Numen permiſit: utpote cujus mors dolores illos, quos in te pariendo paſſa ſum, continuo exceperit, ac tibi orbitatem, mihi viduitatem attulerit intempeſtivam: ut ſileam viduitatis ipſius mala, ærumnas, incommoda, quæ quidem ſolæ animo illæ complecti recte queant, quas contigerit ea ipſa perpeti. Nullius enim ſermo, nullius oratio par eſſe poſſit enarrandæ tempeſtati, ac turbulentiæ illi, quam ſubire oportet puellam, quæ ipſa etiam dum rudis, rerumque humanarum expers, ſimulatque paternam domum reliquerit, derepente immenſorum dolorum facibus æſtuans, curam, ſolicitudinemque ætate ac ſexu ſuperiorem ſuſtinere cogatur: quam videlicet neceſſe eſt ſervorum ignavias emendantem, eorundem maleficia obſervare, cognatorum propulſare inſidias, publicanorum moleſtias, & quam illi, dum eis tributa numerantur, immani-

manitatem exercere ſolent, forti generoſque animo ferre. Proinde quum decedit pater, relicta a ſe prole, ſi forte femina ea eſt, magnam vel ſic matri curam exhibet, ſed tamen hoc ipſo tolerabilem, quod illius educatio tum impenſa caret, tum etiam formidine (*a*) vacat. At maſculus a patre relictus, matris animum in dies ſingulos immenſa formidine, tum permultis complet ſolicitudinibus, ut nihil hic agam de ſumptu, deque impenſa, quam multam tolerare cogitur mater, quæ adlaborat, ut maſculus ille liberaliter educetur.

II. Quarum rerum omnium nulla me tamen permovit, ut nuptiis (*b*) iteratis ſponſum alterum in patris tui ædes inducerem: quin potius in æſtu illo, in fluctuatione, ac turbine perſeverans, cæleſtis gratiæ ſuppetiis inprimis adjuta ferream illam viduitatis fornacem nulla ex parte refugi, quum mihi inter eas ipſas ærumnas, atque incommoda ſolatio eſſet non modico, quod vultum tuum aſſidue ſpectare, inque eo tamquam vitalem defuncti mariti imaginem, veriſque ac certiſſimis characteribus expreſſam mihi aſſervare

(*a*) Noſtra hac temporum fæce aliter ſe ea res habet, educatio enim prolis femineæ nec impenſa, nec formidine vacat.

(*b*) Aliena fuit Chryſoſtomi parens a viduis nonnullis, de quibus in Epiſtola ad Furiam de viduitate ſervanda ita ſcribit S. Hieronymus: *Solent adoleſcentulæ viduæ, quarum nonnullæ abierunt retro poſt ſatanam, cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit, Majorum hæreditas diſſipatur, ſervus contumelioſe loquutus eſt, imperium ancilla neglexit. Quis procedet ad publicum? quis reſpondebit pro agrorum tributis? parvulos meos quis erudiet, & vernulas quis educabit?* Sed reſpondet Hieronymus, hanc matrimonii cauſam, quam opponunt, debere vel ſolam nuptias impedire: *Superinducit*, inquit, *mater filiis non nutricium, ſed hoſtem; non parentem, ſed tyrannum*: & paulo poſt: *Quid obtendis patrimonium? quid ſuperbiam ſervulorum? confitere turpidinem: nulla iccirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat.* Legenda integra Epiſtola, quæ ſane eſt eruditiſſima.

Digitized by Google

daretur. Quo nomine puerulus quum adhuc esses, necdum fandi gnarus, qua potissimum ætate maximam liberorum suorum voluptatem parentes sentiunt, magno certe mihi solatio, magnæ jucunditati fuisti. Atqui ne id quidem mecum expostulare possis, quod nos viduitatis quidem conditionem perpessæ fortiter simul, sed viduitatis ejusdem angustiis coarctatæ, paternas tibi imminuerimus facultates: id quod infelicibus orphanis permultis usuveniisse scio. Siquidem patrimonium tibi nulla non parte salvum, integrumque servavi: quum tamen nihil etiam prætermiserim sumptuum eorum, qui tibi nominis istius existimationem aliquam parare possent, quos sumptus ex meo peculio suffeci, hoc est ex iis pecuniis, quas mecum domo paterna attuleram.

III. Neque vero existimare te velim, exprobrandi gratia hæc nunc a me dici: pro rebus porro his omnibus unam abs te gratiam peto, ne me viduitate altera involvas, neu luctum jam sopitum rursus exsuscites: obitus mei diem potius expectato: hinc paulo post nobis fortasse emigrandum. Nam ut qui juvenes sunt, ad longæ senectutis annos accedant, sperare quidem liceat: qui autem jam consenuimus, quid tandem aliud, quam mortem jamjam adventantem præstolamur? Itaque ubi corpus hoc a te sepultum cum patris tui ossibus conjunxeris, tum demum, fili, longas profectiones suscipito, & mare quodcumque volueris transcurre, per me nemo tunc prohibiturus est: ceterum tantisper, dum spiramus, contubernium, convictumque hunc nostrum tolerato, Dei offensionem frustra, ac temere ne incurrito, neve committito, ut matrem nihil commeritam tantis involvas incommodis: qui, si forte criminari potes, quod in mundanas molestias pertractum, rerum tuarum curam

ram temet gerere cogam : te non jam naturæ leges moveant, non educationis consuetudinisque jura tangant, denique nulla te res alia impediat, quo minus nos statim insidiatorum, atque hostium loco habeas, vitato etiam contubernio nostro. Sin vero nihil non agimus, ut tu facile, altoque in otio possis vitæ hujus usura frui, si minus aliud vinculum, certè hoc unum te apud nos detineat, nam ut te sexcentis amari dicas, nemo certe fuerit, qui tibi tanta in libertate vivere concedat : quum & neminem esse putem, cui nominis tui existimatio æque ac mihi uni cara esse possit.

IV. Hæc & his longe plura matris ad me monita erant, quæ quum amico illi vere magnanimo, ac generoso recitassem, tantum abfuit, ut iis ipse moveretur, ut acrius etiam instaret, eadem a me, quæ & antea efflagitans.

CAP. III.

Rumore de Basilio, & Chrysostomo Episcopis constituendis excitato, fraude se electioni subducens Chrysostomus, indignumque se Episcopatu reputans, Basilium ordinari finit I. Celat Basilium animi sui formidinem, ne eum absterreat a suscipiendo Episcopatu II. Basilius interim Episcopus constituitur III. Ejus animi sensus, ubi fuit ad Episcopatum evectus IV.

I. HÆC quum inter nos versaremus, remque ille assiduis urgeret precibus, me interim nihil innuente, ecce exortus derepente rumor quidam nostrum utriusque animum commovit : percrebuerat enim fore ut ad Episcopatus dignitatem uterque perduceremur. Quo ad me rumore perlato, hinc for-

midine, hinc hæsitantia perculsus sum: formidine, ne forte vel invitus (*a*) eò ipse raperer: hæsitantia, dum identidem animo versarem, undenam in illorum Patrum animos obrepsisset, ut de nobis (*b*) tale quiddam cogitarent. Nam mihi quidem ingenii mei vires circumspicienti non succurrebat quicquam, quod honorem illum mereretur. Generoso autem vir illo animo ad me quum adisset, semotisque arbitris, mecum rem totam communicasset, ratus, nondum me quicquam de ea audiisse, obsecrabat, ut quemadmodum antea semper apparuisset, ita etiam nunc appareret, nos ambos eorundem factorum, consiliorumque rationem

(*a*) Invitos ad Episcopatum raptos plures in Ecclesiastica historia legimus. De S. Cornelio Papa ita scribit in Epistola sua 52. S. Cyprianus: *Episcopatum nec postulavit, nec voluit, sed pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non, ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.* Ea quippe fuit primorum aureorum sæculorum disciplina, cui etiam Imperatores succinuere, ita in Lege, *Si quemquam* Cod. *de Episcopis, & Clericis*, ajentes: *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat: sola illi suffragetur necessitas obsequendi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Hinc Laici Principes discant, quem ad Ecclesias nominare debeant, eum scilicet qui honorem non ambit.

(*b*) Vide eximiam Chrysostomi humilitatem, a qua longe alieni sunt, qui sua ad aucupandum Episcopatum merita jactant, susceptosque pro Ecclesia labores obtendunt. Sed audiant quid scribit S. Hieronymus in Cap. 3. Isaiæ: *Ergo non statim multitudinis acquiescamus judicio, sed electi in principatum, noverimus mensuram nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei, quia Deus superbis resistens humilibus dat gratiam.* Audiant quæso quid sequitur: *Quanti panem non habentes, & vestimentum, cum ipsi esuriant, & nudi sint, nec habent spirituales cibos, neque Christi tunicam integram reservarint, aliis, & alimonias, & vestimenta promittunt, & pleni vulneribus, medicos esse se jactant.*

Digitized by Google

tionem hac in re sequi velle, paratum sese, ut sequeretur, ac mihi comes foret utracumque ego via præire mallem, seu fugiendum, seu quod offerebant illi, sequendum magis esset.

II. Itaque animadvertens tam propensam in eo voluntatem, tum vero arbitratus, me hoc nomine magnum universæ Ecclesiæ detrimentum allaturum, si ob meam imbecillitatem, infirmitatemque Christianum gregem juvene (*a*) tanta probitate prædito, eodemque regendis, moderandisque aliis maxime idoneo spoliarem: non judicavi detegendum illi quicquid animi super ea re haberem, quamquam nunquam antea passus, ut illum consiliorum meorum quicquam lateret. Cui quum indicassem, me negotii hujus consilium in aliud tempus rejicere, neque enim id in præsentia urgere, factum est, ut statim persuaderem, non esse ulterius super eo cogitandum. Præstiti autem, ut confideret, unanimem me, ac concordem secum fore, si quando tale aliquid evenisset.

III. Tempore autem haud ita multo elapso, quum jam dies adveniisset, in quo eligendi uterque essemus, ac me ipse occultassem, idem ille harum omnium rerum ignarus, quum esset apprehensus ducitur

[*a*] Quo ætatis suæ anno Basilius iste Episcopus ordinatus sit, non audeo definire. Certe ante trigesimum ætatis annum non esse consecrandum, est antiquissimus, & latinæ, & græcæ Ecclesiæ Canon, quem quidem a lege mutuatum ostendit in Epistola sua 2. ad Teophilum Alexandriæ Patriarcham S. Hieronymus: *Recordetur legis antiquæ, & post viginti quinque annos a Levitica tribu eligi in Sacerdotem pervidebit. Aut si Hebraicam sequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri Sacerdotem.* Quod autem urgente casu, ac necessitate viri nondum eam ætatem emensi Episcopi antiquitus creati fuerint, non vacat exemplis. S. Remigius Episcopus creatus est cum duorum supraviginti annorum esset; & Eleutherius quidam viginti annorum adolescens ab Aniceto Papa Episcopus missus est in Illyricum.

ducitur (*a*) quidem a Patribus, tamquam alio prætextu, ſed tamen jugum nequaquam detrectat: quod promiſſa noſtra ſpem illi facerent, nos eò omnino ſequuturos, ſeu potius nos jam præire, ſe ſubſequi. Etenim nonnulli ex eorum numero qui aderant, quum viderunt illum haud æquanimiter ſe captum ferre, facile ei verba dedere, acclamantes, abſurdum eſſe, illum qui omnium judicio ferocior viſus ſemper fuiſſet, me deſignantes, multa cum comitate Patrum ſuffragiis parere: eum vero, qui prudentia, ac facilitate ſemper excelluiſſet, ferocire, & tanquam glorioſulum apparere, reſilientem, tergiverſantem, obſiſtentem.

IV. His ille verbis parens, poſteaquam intellexit, me ſubterfugiſſe, triſtis admodum ad me adiit, ac mihi propior quum aſſediſſet, eloqui quidem neſcio quid

(*a*) Jam ſuperius notatum, eſt complures olim viros Sanctos nonniſi renitentes Epiſcopatum ſuſcepiſſe, & prorſus fere coactos. S. Auguſtinus Epiſtola 148. non gloriam ſed pœnam peccatis ſuis irrogatam ait, quod ad clavum ſedere cogeretur, qui necdum ſatis didiciſſet remum tenere: *Vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum. Nam quid aliud exiſtimem, neſcio, ut ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.* Vi non diſſimili coarctandus fuit S. Paulinus, ut vel Presbyter ordinaretur. Sic enim ait in Epiſtola ad Amandum: *Vi ſubita adſtrictus, & multitudine ſtrangulante compulſus.* De S. Gregorio Nazianzeno inquit Auctor ejus vitæ Gregorius: *Pater filium, quem invitum, & repugnantem agreque ſedentem Presbyterum creaverat.* Ceſſit tum quidem, ordinatusque eſt Presbyter, ſed ſtatim ſe in Ponti ſolitudines ſubduxit, ut ipſe teſtatur in carmine, *De vita ſua.* Celebre eſt tandem quod de S. Fulgentio Auctor ejus vitæ ſcriptum reliquit! *Tunc adgregata violentæ multitudinis manu repente B. Fulgentius dolens oculos in cellula propria reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitur.* Quomodo hæc intelligenda, explicat Auguſtinus in Epiſtola 104. ſic dicens: *Tam multi ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.*

Digitized by Google

quid velle videbatur: ceterum ab animi anguſtia oppreſſus, quum oratione vim eam, qua premeretur, aſſequi mequiret, in ipſo oris hiatu fari prohibebatur, animi conſternatione orationem, priuſquam ea dentes tranſiliſſet, interrumpente. Itaque illum ego intuitus lacrymis permadenten, ac multa animi perculſum conturbatione, mali cauſam quum intelligerem, in riſum præ nimia animi voluptate prorupi, apprehenſumque dextra oſculari conatus ſum: Deo acceptum referens, quod aſtus meus felicem tandem fuiſſet exitum ſortitus, ac non alium ab eo, quem animus hic ſemper optaverat. Ut vero me vidit lætam, hilaremque frontem proferre, ac tum primum a me deceptum ſeſe animadvertit, hoc magis animo conpunctus, indignatuſque eſt.

CAP. IV.

Baſilius cum Chryſoſtomo expoſtulat quod ſecum conſilia animi ſui non communicaverit in cauſa ſuſcipiendi Epiſcopatus I. Conqueritur fidem amicitiæ inter ipſos initæ vacillare apud homines culpa ipſius Chryſoſtomi II. De multis is accuſatus ob Epiſcopatus fugam III. Cupit ab ipſo Baſilius cauſas, cur Epiſcopatum ſubterfugerit IV. Gravi ſe damno a Chryſoſtomo affectuum dicit, doletque contubernium eſſe diſſolutum V. Mores hominum pravi, & quæ vera amicorum officia VI. & VII.

I. BASILIUS. Porro ab eo animi æſtu quietior tandem paulum factus: Tu vero, inquit, ut partes etiam noſtras reſpueris, ac nullam jam noſtri rationem habeas (id quod ſi ita eſt, qua tandem cauſa non facile perſpicio) te certè oportuit vel famæ exiſtimationiſque tuæ rationem habere. Nunc vero mortalium omnium ora adaperuiſti, quorum

rum hæc una consensiens vox est, te per inanis gloriæ cupiditatem munus hoc recusasse: neque enim quisquam est, qui te ab hoc crimine (*a*) eximat: mihi autem ne in forum quidem ventitare licet: tam multi nobis occurrant, nullo non die facinus istud vitio vertentes. Nam quoties illi quacumque Urbis parte me conspexere, semotis arbitris abductum (de iis loquor qui amicitia ac necessitudine aliqua nobiscum conjuncti sunt) bonæ criminis hujus partis reum faciunt. Illius enim, inquiunt animus tibi exploratus quum esset, (quid autem rerum ad illum pertinentium latere te poterat?) oportuit te rem minime dissimulare, sed nobiscum communicare: id quod si fecisses, numquam profecto nobis defuisset ars, qua illum in retia conjecissemus.

II. Me vero hic fateri pudet, nescivisse id a te consilii multo jam ante tempore initum: idque ne amicitiam nostram fictam illi, ac simulatam hactenus fuisse ducant. Nam si ea simulata est, ut omnino est, quod ne tu quidem inficiari possis, vel ex commissis adversum nos tuis: tamen externos homines, eos præsertim, qui vel mediocrem de nobis opinionem concepere, pulchrum esse reor vitia, si qua in nobis sunt, celare. Itaque rem, ut se habet, vere apud illos ediffe-

(*b*) Reputatum est quidem a Patribus crimen, ubi repugnatum est aliquandiu, non suscipere Episcopatum: *Bonum est*, inquit Oratione 41. Nazianzenus, *Deo se se parumper subducere; ut Moyses ille olim, & postea Hieremias: & rursus ad vocantem prompte, atque impigre accurere, quemadmodum Aaron, & Elias, modo utrumque pro animo fiat, alterum ad propriam imbecillitatem, alterum ad vocantis potentiam.* Sed & S. Chrysostomus in Epistolam 1. ad Timotheum Homilia prima idipsum docet, sic inquiens: *Quemadmodum is qui non sibi traditum a Deo honorem usurpare præsumit, culpari dignissimus sit; ita & qui traditum sibi repellere, & a se arcere molitur, aliorum est criminum reus, infidelitatis scilicet, atque inobedientiæ.*

Digitized by Google

edifferere dum vereor, cogor prorſus, quod unum ſupereſt, caput in terram ſilentio mihi indicto demittere, amicorumque occurſum averſari, ac declinare. Etenim ut prius illud crimen, cujus nos illi damnant, effugiam, reſtat tamen neceſſario, ut me mendacii convincant. Neque enim perſuaſum illis unquam eſſe queat, quod & Baſilium quoque eorum loco, ac numero habueris, quibus arcanorum conſiliorumque tuorum conſcientia interdicta eſſet.

III. Ceterum poſteaquam id tibi cordi fuiſſe video de eo non admodum laboro. Reliquum vero dedecus quî ferre poſſimus? Certe alii te faſtidii, ac contumaciæ, alii inanis gloriæ accuſant: qui autem rem damnare ſeverius rigidiuſque volunt, ii nos duplicis hujus criminis reos agunt, reddentes contumeliæ crimen, qua contumelia a nobis affectos fuiſſe eos dicunt, qui nos honore illo dignati ſunt: quos etiam cenſent, non ea ſolum injuria, quam a nobis accepere, ſed longe etiam graviore digniſſimos: propterea quod egregiis atque excellentibus viris, quos multos haberent, a ſe relictis, contemptiſque, duos quoſdam adoleſcentiæ annos heri, aut nudius tertius egreſſos, vitæ hujus curis etiamnum involutos, ut per exiguum tempus ſupercilia ipſi ſua contraherent, pullos habitus induerent, vultuſque ad triſtitiam fingerent, derepente ad tanti honoris culmen perduxerint, quantum ne in ſomnis quidem aſſequi ſperaviſſent. Atque ii quidem inquiunt, qui a prima ætate ad extremam uſque ſenectutem acribus atque aſſiduis meditationibus, vigiliiſque ſe ſe exercuerunt, inter ſubditos ſunt; imperant autem illis ipſorum filii, atque adeo hi qui ne leges quidem, ac præcepta audiere, quibus hujuſmodi magiſtratus regendus moderanduſque ſit. Hæc ipſa & his longè etiam plura qui nobis aſſidue objiciant, paſſim

Digitized by Google

passim exoriuntur : quum ego interim defensionem plane non habeam , qua me adversus illos tuear .

IV. Itaque partes hic tuas imploro : neque enim puto (a) leviter te , ac temere tum genus hoc fugæ quæsiviſſe , tum vero in tam acrem virorum , tam præstantium offensionem incurrere voluiſſe; sed te potius consilio quodam , atque animi cogitatione ad id descendiſſe : quo fit, ut conjectem , paratam tibi rationem, qua tu factum istud tuum recte tueri, ac defendere valeas. Effare, obsecro,siqua tibi justa excusatio adest, quam afferre possimus adversus eos,a quibus in crimen vocaris . Neque enim postulo , ut causam hic dicas , cur factum sit , ut me sic offenderes , deciperes , proderes , nulla etiam ratione habita fructus ejus , quem tibi perpetuus amicitiæ nostræ usus antea peperisset : quum nos animum nostrum gestantes , ut sic dicam , tibi tamquam in manum tradiderimus : tu contra tantum adversus nos astum adhibueris , quantum maximum potueris , ac quantum utique adhibuisses , si tibi fuisset ab adversariis tuis cavendum . Atqui oportuit , siquidem consilium istud utile , ac commodum noveras , te lucrum ejusmodi minime devitare : sin detrimentosum , & me quoque , quem tute semper omnibus in amicitia prætulisti , a detrimento isto per se sartum tectum esse : quum tu tamen operam omnem navaveris , ut in adversariorum laqueos inciderem ; neque dolum , ac simulationem adversus eum adhibere opus fuit , cujus dicta , factaque omnia sincera ,

(a) Scite admodum & christiane de sua fuga Chrysostomum interrogat Basilius , non enim putavit aliquid mali de illo temere suspicari ; sciebat enim jam ante quod deinde docuit Augustinus Homil 50. ex 50. Homiliis : *Noluit Deus hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis , vel etiam extraordinario usurpato judicio , sed potius ex Lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ , sive ultro confessum , sive accusatum atque convictum .*

Digitized by Google

cera, simplicia, ac dolo ubique carentia nunquam non expertus esses.

V. Enim vero, quod jam a me dictum est, nihil horum hic tecum expostulo, neque exprobro solitudinem, in quam tute nos conjecisti, congressibus, colloquiisque iis per te diremptis, ex quibus non vulgarem identidem tum voluptatem, tum utilitatem cepimus. Hæc enim omnia missa faciens, facile, atque humaniter fero, non quod tu humaniter in nos deliqueris, sed quia hanc mihi ipse legem præscripserim, ex quo amicitia mihi tua coli cœpta est, ut siquid postea in me delinqueres, nunquam te ego ad causæ dicendæ necessitatem adigerem. Nam quod sim ego non mediocri abs te damno affectus, tute etiam nosti, si modo memor esse velis sermonum eorum, quos tum alii, tum nos de nobis ipsis perpetuo usurpavimus: qui sermones haud aliud sonabant, quam ex animorum nostrorum conspiratione magnum nobis fructum olim sperandum. Proinde muniendos firmandosque nos censebas mutua inter nos charitate atque amicitia: quin & ceterorum omnium sermo in hoc consentiebat, ut concordiam amicitiamque nostram etiam aliis permultis inprimis utilem, ac necessariam fore dicerent.

VI. Ego vero, quod ad me quidem spectaret, nunquam mihi persuasi ad alios utilitatem istam manaturam: certe id lucri non exigui nobis inde necessarium dicebam, quod magno cum negotio capiendi, expugnandique essemus ab iis, qui nos oppugnassent: ac te quidem antea semper hisce a me verbis commonefactum memini: *Temporis difficultas magna, insidiatores permulti, vera ac germana charitas extincta, in cujus locum invidiæ labes invasit; per laqueos medios ingredimur: inambulamus per murorum*

rum pinnas, minaſque; neque deſunt, qui, ſiquid calamitatis forte acciderit, malis noſtris inſultaturi ſint, multi autem multis ex locis imminentes circumſtant; qui vero mali doloriſque participes futuri ſint, nulli prorſus, aut ſiqui hi eſſe poſſunt, pauci admodum ſunt. Unde ne fortè disjuncti, diſſociatique riſum aliis luculentum præbeamus; neve, quod riſu deterius futurum fuerit, magnum nobis malum, atque incommodum accerſamus: (a) Frater à fratre protectus adjutuſque, quid aliud eſt, quam fortis quædam Urbs? *quam Regnum quoddam tamquam vectibus repaguliſque undique conſtabilitum? Ne obſecro, ne iſtam diſſolvas neceſſitudinem, nec amicitiæ noſtræ vectem, cardinemque revellas.*

VII. Hæc ipſa una cum aliis pluribus nunquam non inculcabam, nihil omnino tale accidere poſſe, quod accidit, ſuſpicatus: quin potius arbitratus, te ſano admodum erga nos animo eſſe, amoris abundantia quadam medelam afferebam, minime animadvertens, ægrotanti medicinam me adhibere. Ac ne ſic quidem miſer opem tuli, neque mihi lucri quicquam acceſſit ex tanta illa cautione, ac providentia. Quandoquidem omnia illa ſimul excutiens, ac ne in animi quidem cogitationem influere permittens, me continuo tamquam navem nec ſaburratam, nec armamentis inſtructam in immenſum pelagus præcipitem egiſti: nihil expendens fluctuum illorum, quos ſuſtinere cogimur, ſævitiam, atque aſperitatem. Nam ſi quando nos vel calumniam, vel cachinnum, vel aliam id genus injuriam, moleſtiamve pati oportuerit, (perſæpe autem multa ejuſcemodi neceſſario erumpunt,) ad quem, obſecro confugiendum nobis erit? Quicum quæſo animi noſtri dolores, atque anguſtias communicabimus? Quis neceſſita-

(a) Locus deſumptus ex cap. 18. Proverbiorum, verſu 19.

ceſsitate aliqua preſſis nobis auxilio eſſe volet? Quis moleſtiæ auctores retundet? Quis animi hujus mœſtitiam ſedaturus eſt? Quis nobis ſolatium ac jucunditatem allaturus? Quis animum noſtrum præparaturus ad aliorum ineptias fortiter perferendas? Certe neminem futurum puto, poſtea quam te ipſe a gravi illo ac periculoſo bello eo ſubtraxiſti: unde ne clamorem quidem exaudire poſſis. Ecquid igitur animadvertis, quam atrox, quamque nefarium ſcelus feceris? Ecquid poſt inflictam ſaltem a te plagam, ſentis quam pernicioſum, ac læthale nobis vulnus intuleris? Ceterum de his ſatis ſuperque: neque enim quæ facta ſunt, fieri ea infecta poſſint: neque rei quæ deplorata ſit, remedium afferre ullum queas. Tantum edoce, quam nos tandem orationem apud alios uſurpare, quoque defenſionis genere illorum criminationes retundere poſſimus.

CAP. V.

Chryſoſtomi defenſio I. Oſtendit ſe non læſiſſe Baſilium, cum non omnis fraus ſit mala, & damnanda II. Fraudes & dolos plurimum in bello valere, adeo ut victoria dolo parta laudabilior ſit quam aperto Marte obtenta III. & IV. Valere etiam fraudes domi, & in familia V. Quod ars non poteſt, fit interdum dolo eoque pio, & bono VI. Dolus inſignis a medico ad ſalutem ægri adhibitus VII. & VIII. Animarum Medici dolo uſi, exemplaque recenſentur tum novi, tum veteris Teſtamenti, ubi dolus bonus a Deo probatur IX. & X.

I. CHRYSOSTOMUS. Bono, inquam, animo eſto, neque enim harum modo rerum nomine, paratus ſum ad rationum reddendarum calculos deſcendere, ſed quarum etiam a culpa immunem me

esse voluisti, earum tibi hic rationem defensionemque expedire pro viribus enitar. Ab ipsis, si placet, apologiæ nostræ exordium sumatur: quippe absurdo plane, neque satis candido, ac liberali, animo fuerim, si sollicitus, quamnam alii de me opinionem habeant, studiumque omne adhibens, ut criminandi accusandique mei finem tandem illi faciant: hominem mihi amicissimum, quique sic me ipse vereatur, colat, observet, ut ne de iis quidem, quas a nobis accepisse se dicit, injuriis, mecum expostulare velit: denique talem, ut suam ipsius causam, dignitatemque postponens, ac pro nihilo ducens, nostræ in primis curam habeat: non possim hic flectere, illique persuadere, nulla a me injuria læsum fuisse: quin potius committam, ut majorem nostram erga illum somnolentiam, ac negligentiam, quam illius erga me studium, ac sedulitatem extitisse appareat.

II. Itaque quid tandem illud est, in quo te ipsi læsimus? siquidem hinc constituimus apologiæ pelagus ingredi. Læsine quod circumvenerim, atque imposuerim? Quod animi mei sententiam occultandam tibi duxerim? Quod tamen factum à nobis est partim tuo, quem circumvenimus, commodo; partim eorum utilitate, quibus te fraude prodidimus. Nam si in universum fraudis genus omne, malum, vituperandumque est, neque eam cuiquam licet in hominum usum utilitatemque unquam vertere: equidem paratus sum pœnas dare quascumque prescripseris; seu, ut verius dicam, quandoquidem tu, ni fallor, numquam a nobis sustineas pœnas exigere, ultro ipsi nobismet eam pœnam irrogabimus, quia judices mulctare eos solent, qui injuriæ illatæ rei sunt, quoties ab actoribus suis rei peracti fuerint: sin vero fraus ipsa non semper incommoda, sed pro eorum,

Digitized by Google

eorum, qui eam adhibent, animo, atque consilio bonæ malæve rei nomen sortitur, missam faciens criminationem istam, qua te a me circumventum quereris, edoce, nisi grave est in malum damnumque tuum fraudem hujusmodi fuisse a nobis excogitatam; quandoquidem donec animus malus abfuerit, consentaneum est, ut qui se se justos, æquosque in causa ejusmodi ostendere velint, deceptorem hunc, quem dico, non modo non accusent, culpentve, sed etiam laudent, atque approbent.

III. Tam lucrosa enim tamque fructuosa esse solet opportuna, atque recto animi judicio facta fraus, ut permulti etiam pœnas sæpe numero luerint hoc ipso quod rem fraude non egissent. Ac si exquirere velimus, quinam copiarum Imperatores jam indè ab orbe condito claruere, illorum trophæa bona ex parte comperiemus impostura ac fraudis facinora fuisse, eosdemque fatebimur majori quidem laude dignos, quam qui aperto Marte victoriam de hostibus reportant. Hi enim magno cum sumptu, tum pecuniarum, tum corporum sic bella conficiunt, ut ab ipsa etiam victoria nihil illis amplius accedat: quin potius victores quum sint, nihilo tamen secius pari cum iis qui victi sunt calamitate premuntur; tum copiis absumptis, tum ærario exhausto. Ad hæc qui victi sunt, ne ipsos quidem victores patiuntur solida victoriæ gloria perfrui: cujus bona pars ad eos redit, qui cecidere: utpote qui animis victores, corporibus solum inferiores fuerint: quibus item si per sua vota in bello non cadere licuisset, neque illis mortis interventus dimicationis finem attulisset, nimirum alacritatis magnanimitatisque suæ ostendendæ modum fecissent nullum. At qui fraude aliqua victoriam sibi parat, is præterquamquod calamitatem atque perni-

ciem hostibus affert, id etiam præstat, ut ceteris illi de se risum præbeant.

IV. Neque vero ut illic fortitudinis, sic & hic prudentiæ laudem gloriamque ex æquo utrique reportant: verum integra victoriæ totius laus ad victores solos pertinet. Et quod, iis quæ dixi, inferius nequaquam esse reor, qui æstu vincunt, civitati suæ servant sinceram, illibatam, atque integra ex victoria parta voluptatem: neque enim commune quicquam habet animi prudentia cum pecuniarum corporumque multitudine, atque copia: quibus quidem usuvenit, ut quo magis in bello utare, eo magis insumantur, magisque suos deficiant possessores: quum contra naturâ sic comparatum sit, ut animi prudentia, quo magis eam exerceas, eo magis adolescat.

V. Neque vero foris tantum ad militiam, sed etiam domi ad pacem, non publicis modo civitatis, sed & privatis uniuscujusque negotiis pertractandis, & marito adversus uxorem, & uxori adversus maritum, & patri in filium, & amico in amicum, addam etiam, & liberis in patrem, æstus hujus usum communem necessariumque comperies. Neque enim filia (*a*) Saul maritum suum alia ratione de Saul manibus eximere, quam circumvento, ac decepto patre potuisset. Cujus item frater (*b*) eundem illum ab ea semel servatum, de vita periclitantem servare dum vellet, iisdem telis, quibus & uxor, se se armavit.

Aque hic BASILIUS: Sed nihil horum, inquit, ad me:

[*a*] Michol hæc est, cujus industria ausugit David, & salvatus est, uti legitur lib. 1. Regum cap. 19. Cum enim vellet Saul occidere David, nuntiavit hoc ei Michol, ejusque in lecto posuit statuam, & pellem pilosam caprarum ad caput ejus, operuitque eam vestimentis. (*b*) Is Jonathas est, qui uti legitur lib. 1. Regum cap. 20. illum e manibus Saul dolo adhibito trium sagittarum signi liberavit.

Digitized by Google

me: neque enim hoſtis ego atque adverſarius, neque ex eorum numero, qui nocere injuriamque afferre parant: quin ipſe contra, animi tui ſententiæ omnia mea quum commiſiſſem, de ea via nunquam deflexi, qua me ipſe ſubſequi juſſiſſes.

VI. CHRYSOSTOMUS. Ego vero, o admirandeidemque optime Baſili, non ob aliud, inquam, quam ob hoc ipſum antevertens nuper docui, non in bello tantum contra hoſtes, ſed etiam in pace adverſus amiciſſimos quoſque, aſtus hujus uſum convenire. Nam quod id conducat non circumvenientibus ſolum, ſed etiam circumventis, ad unum aliquem ex medicis profectus ſciſcitare, quemnam illi in modum laborantes morbo liberare ſoleant; certe ex iis audies, meram nudamque artem ipſis non ſatis eſſe, ſed & aliquoties ipſos impoſtura uti, cujus auxilio cum arte medica conjuncto ægrotantem ſanitati priſtinæ reſtituant. Etenim dum hinc ægrotantium moroſitas, hinc morbi difficultas, medicorum averſatur conſilium, tum coguntur illi fraudis, atque impoſturæ perſonam induere, ut quod in ſcena fieri ſolet, in qua fictis omnibus, & adumbratis loci plurimum eſt, rerum factorumque veritatem occultare poſſint.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VII. Atque hic, ſi placet, dolum unum explicabo ex multis, quem olim ex medicis fuiſſe ſtructum audivi. Inciderat quidem in acrem vehementeque febrim. Idem æſtu febris in dies gliſcente, augeſcenteque, remedia ea omnia averſabatur, quæ ad ardorem illum reſtinguendum facerent: ceterum quum deſiderio ferretur, multuſque eſſet in urgendis, hortandiſque omnibus iis, qui ad ipſum introiiſſent, id perpetuo agens, ut multo vino, eoque merato, ſibi porrecto, exitioſam illam appetentiam extin-

Digitized by Google

gueret : futurum quippe erat, ut ſiquis illi obſecundans, hac in parte gratificatus fuiſſet, febris ardorem non ſolum magis inflammaret, ſed miſerum etiam illum prorſus ad inſaniam furoremque adigeret: hic demum quum ars ipſa effœta jam, atque exhauſta nullum ſalutis remedium inveniret, in ejus locum ſe ſe fraus inſinuans, tantam exhibuit virium ſuarum efficaciam, quantam mox ex me auditurus es.

VIII. Etenim Medicus acceptum vas teſtaceum (id recens e fornace exierat) vino permulto immerſit; quod quum vacuum, ſed apprime tinctum extraxiſſet, aqua implet; tum jubet ægrotantis cubiculum tapetibus veliſque undique adumbrari, ne fraus ipſa lumine detegatur: hic teſtam ægroto propinat, quaſi mero plenam: quam ille manibus quum necdum apprehendiſſet, vini odore ejus nares ſtatim pervadente, non ſuſtinuit curioſe indagare, quid ſibi a medico porrigeretur: verum eo odore perſuaſus, & tenebris deceptus, tum etiam appetitæ rei deſiderio victus, quod propinabatur, propenſiſſime hauſit, ac ſatiatus febris æſtum ſtatim excuſſit, periculo illo, quod grave imminebat, liberatus. Vides, quanta ſit fraudis utilitas? Quod ſi quis omnes medicorum dolos recenſere volet, hæc certe oratio nullum prorſus finem habitura ſit.

IX. Comperies autem non ab iis ſolum qui corporum medendorum, ſed etiam ab iis qui animi curam ſuſcipiunt, pharmaci hujus uſum aſſiduum uſurpari ſolitum. Sic beatus Ille Paulus multas illas Judæorum (a) myriadas ad ſe allectavit. Per hujus item conſilii rationem, idem ille qui Galatis comminatur fore, ut

(a) Vide Acta Apoſtolorum cap. 16. ubi legitur Thimotheum a Paulo circumciſum, innumeroſque pene homines ad Chriſti Fidem convetſos.

ut Chriſtus (*a*) circumciſos nihil adjuvet, Timotheum tamen circumcidit. Propterea item legi (*b*) aliquoties ſe ſe ſubmittit, qui idem cenſet poſt Fidem in Chriſtum, detrimentum eſſe juſtitiam, quæ ex lege eſt. (*c*)

X. Fraudis quidem magna vis, modo ne fraudolento ea animo fiat: quam ipſam tum ne fraudem quidem nominandam putaverim, verum œconomiam quandam potius, ac ſapientiam, artemque qua poſſis e mediis, iiſque imperviis deſperatarum rerum anguſtiis, difficultatibuſque, correctis, emendatiſque animi vitiis, evadere. Neque enim Phineem (*d*) illum homicidam ego unquam appellaverim, quamquam is plaga una corpora duo ſuſtulit. Quemadmodum neque Eliam, vel poſt milites centum una cum ducibus ſuis (*e*) interfectos; atque adeo poſt magnum illum ſanguinis torrentem, quem eorum nece, qui dæmonum Sacerdotes erant, fecit (*f*) excurrere. Nam ſi hoc dederimus, & res ipſas per ſe ſingulas, nudas ab authorum ſuorum conſilio, propoſitoque ſeparatas expendere quis voluerit, nemini ſane non licebit, vel Abraham (*g*) ipſum parricidii inſimulare. Item & illius tum nepotem, tum abnepotem doli, ac maleficii reos agere; ſic enim ille (*h*) jus ſibi primogenitum

(*a*) Vide Epiſtolam Pauli ad Galatas cap. 2.

(*b*) Cap. 21. Actorum, num. 26. legimus: *Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intravit in Templum.*

[*c*] Alludit ad cap. 3. Epiſtolæ ad Philippenſes, verſ. 7. & ſeqq.

[*d*] Erat Phinees filius Eleazari, fili Aaron, eique Deus perpetuum Sacerdotium dedit eo quod aſſumpto pugione virum Iſraelitem nomine Zambri, & mulierem Madianitidem, quæ vocabatur Cozbi, cum qua ille fornicatus fuerat, zelo Dei percitus confodiſſet, lib. Numerorum cap. 25.

(*e*) Res narratur lib. 4. Regum, cap. 1. (*f*) Vide lib. 3. Regum, cap. 18. [*g*] Extat ejus rei hiſtoria cap. 21. Geneſis.

(*h*) Eſt is Jacob filius Iſaac, de quo vide cap. 27. Geneſis.

Digitized by Google

nitum usurpavit; hic autem (a) Ægyptiorum opes in Israelitarum castra transtulit. Sed non est ita, non est ita. Faceſſat hinc tanta ista impudentia, neque enim solum eos, quos modo nominavi, culpa liberamus; sed etiam eosdem, vel hoc nomine admiramur: quandoquidem & ipsi hoc demum nomine gratiam a Deo magnam inierunt. Proinde veri illusoris, deceptorisque nomine dignus fuerit, quisquis re ipsa iniquo, ac nocendi animo abutitur, non qui recto consilio id præstet: alioqui sæpe numero profuit decepisse, & hac potissimum arte in maximis rebus alteri opem, subsidiumque tulisse. Ceterum qui recto semper calle ingreditur, de eo numquam deflectens, sæpe fit, ut ei etiam, cui non astum aliquem struxerit, malorum, incommodorumque quamplurimorum author sit.

DE SACERDOTIO
LIBER II.

CAP. I.

Fraudis vis bonam etiam in partem adhibita I. Non est satis ad Sacerdotium idoneus, qui non totus flagret amore divino, pascendarumque ovium cura certissimum indicium est amoris, quem quis habeat erga Deum II. Quisnam sit fidelis servus, & prudens III. Petri supra cetera excellentia IV.

1. PRoinde quod fraudis vim, atque usum bonam etiam in partem adhibere possis, seu, ut verius dicam, quod ne fraudis quidem, sed admirandæ cujusdam dispensationis nomine tum fraus ea designanda sit, pluribus quidem hic a me exemplis doceri poterat: quum vero, quæ a nobis adducta sunt, ea

(a) Moyses is est, de quo vide cap. 12. Libri Exodi.

Digitized by Google

ea idoneam rei comprobandæ fidem facere possint, grave, molestumque arbitror in prolixitatem, quæ supervacanea sit, orationem nostram producere. Reliquum est ut tute expendas, num ex usu, ac commodo tuo fraus ea a nobis adhibita sit.

Tum BASILIUS: Et quodnam, inquit, commodum ad nos ex hac rediit, seu œconomia, seu sapientia, seu quocumque eam nomine appellare mavis, ut testatum nobis esse queat, ac persuasum, fucum mihi a te nequaquam esse factum.

II. CHRYSOSTOMUS. Quodnam vero, inquam, hoc unum majus commodum existat, quam si ea nos facta præstare constiterit, quæ quidem dilectionis, charitatisque in Christum exempla esse Christus nos docuit? Hic enim cum Apostolorum Principe (*a*) verba faciens, *Petre*, inquit, *amas me?* Atque illo id confitente, adjungit: *Si amas me, pasce oves meas*. Interrogat discipulum Magister; num ab eo ametur, non quod ipse edoceatur: qui enim id edoceri studeat is, cui uni mortalium omnium corda pervia sunt? verum ut nos doceat, quantæ sibi curæ sit gregis hujus præfectura. Id quod ubi constiterit, & illud item pariter constabit, copiosam atque adeo immensam mercedem illum expectare, qui consilium, curam, cogitationem, atque operam

(*a*) Passim a sanctis Patribus Apostolorum Princeps S. Petrus vocatur. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem cap. 64. de S. Petro ita inquit: *Ut Princeps, caputque cæterorum primus exclamat: Tu es Christus Filius Dei vivi.* S. Augustinus, ut alios omittam, qui apud Bellarminum videri possunt, passim dicit S. Petrum habuisse Primatum, præsertim lib. 2. *de Baptismo*, cap. 1. ubi postquam comparavit S. Petro Apostolo S. Cyprianum, statim subdit: *Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus exstiam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia, una est tamen Martyrum gloria.*

ram in iis ſuam ponat, quæ quidem magno apud ſe in ptetio, atque exiſtimatione Chriſtus eſſe voluit. Nam ſi quoties videmus ſervorum pecuariorumve noſtrorum curam a quibuſdam ſuſcipi, ex eo ſtudio erga res noſtras impenſo colligimus, ab iis nos amari, tametſi illa ipſa ejuſmodi eſſe ſoleant, ut pecunia væneant: qui neque pecunia, neque alia re ulla, ſed morte propria ovile hoc redemerit, ſuumque proprium ſanguinem, gregis pretium obtulerit; quanto, quæſo, præmio gregis hujus Paſtores, ac Rectores remuneraturum olim credimus? Propterea enim quum reſpondiſſet diſcipulus: *Tu ſcis Domine quod amem te*: teſtemque citaſſet amoris hujus ipſummet qui amaretur, haud ſe hic continuit ſervator Jeſus, ſed & amoris quoque indicium adjunxit: neque enim tum volebat, teſtatum eſſe, quantum à Petro amaretur: ſiquidem id multis nobis argumentis conſtabat; verum hoc tum ille agebat, ut & Petrum, & ceteros nos edoceret, quanta benevolentia, ac charitate erga ſuam ipſe Eccleſiam afficeretur, ut hac ratione & nos quoque ejuſdem Eccleſiæ ſtudium curamque toto animo ſuſciperemus.

III. Nam qua de cauſa filio ſuo eique Unigenito Deus Optimus Maximus uſque adeo non parcendum putavit, ut etiam quem unicum haberet, hunc dederet? Certe ut qui in ipſius offenſionem incurriſſent, eos ſibi reconciliaret, tum vero peculiarem ſelectumque ſibi populum redderet. Quanam item de cauſa idem ille ſanguinem effudit ſuum? Certe ut oves eas acquireret: quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat. Jure igitur ac merito ſic loquebatur Chriſtus: (a) *Quiſnam fidelis ſervus, & prudens, quem*

[a] S. Auguſtinus in hunc locum Matthæi cap. 24. *Oves ipſas*, inquit, *paſcendas, ideſt docendas, regendaſque committit.*

quem Dominus super familiam suam constituit? Rursus verba quidem ista hæsitantis esse videntur : quum tamen ab eo prolata sint, qui minime hæsitaret. Nam quemadmodum Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur, interrogabat profecto, non ex eo quod vellet amorem hujusmodi ex discipuli verbis intelligere; sed quod declarare cuperet, quænam censeri deberet nostræ erga se charitatis, dilectionisque magnitudo : ita & hic dum ait : *Quisnam fidelis servus & prudens?* non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis, ac prudens servus, sed quod exprimere velit, tum hoc opus quam rarum sit, tum quæ sit functionis hujus amplitudo.

IV. Contemplare itaque quantum præmium propositum sit : *Super omnia*, inquit, *bona sua constituet eum*. Etiamne nunc nobiscum contendes, fraudem istam tibi non bene, ac feliciter cessisse, qui per eam universis Dei Optimi Maximi bonis sis præficiendus? quum præsertim ea agas, quæ quum Petrus ageret, illum Christus authoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere : *Petre*, enim ait, *amas me plusquam hi omnes? pasce oves meas*. Atqui illi quidem licebat verbis hujusmodi Petrum affari : Si me amas Petre, jejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, injuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant. Nunc vero prætermissis omnibus his, quidnam ille ait? (*a*) *Pasce oves meas*.

CAP.

(*a*) His Christi verbis Petro dictis, uti legere est in Evangelio Joannis cap. 21. Primatum Petri supra ceteros ostendi, docent quidem Ecclesiæ Patres, inter quos S. Gregorius lib. 4. Epistola 32. quum dixisset totius Ecclesiæ curam esse commissam Petro, rationem hanc reddidit : *Ipsi quippe dicitur* : Pasce oves meas.

Digitized by Google

CAP. II.

Molieres, & etiam virorum plurimi a Sacerdotio prohibiti, & quantum oporteat esse discrimen inter gregem, & pastorem gregis I. Quanto periculo constat cura gregis Dominici, & qui ejus infestissimi hostes II. Pastorum gregis Christi, & pecorum collatio III. IV. & V. Collatio Judicum secularium, & Prælatorum Ecclesiæ VI.

I. NAm quæ modo a me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis præstare facile possint, non viri solum, sed & feminæ. At quum de Ecclesiæ præfectura, de credenda huic vel illi tam multarum animarum cura agitur, universa quidem muliebris (*a*) natura functioni istius moli ac magnitudini cedat oportet, itemque & bona (*b*) virorum pars. Prodeant autem in

(*a*) Est antiqua Ecclesiæ traditio, qua constat, a priscis Ecclesiæ Patribus damnatos fuisse Gnosticos, Collyridianos, & alios hæreticos, quod ipsi in sua secta mulieribus sacros ordines, atque ipsum etiam Sacerdotium concederent. De hujusmodi mulieribus hæc habet Tertullianus in Lib. *De præscriptionibus*, cap. XI. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, forsitan & tingere.* Certe in Evangelica Lege Christus solos Apostolos ordinavit, Apostoli vero tantum viris manus imposuerunt, ita ut ne Mariam quidem Deiparam Virginem ea dignitate donaverint. Quamobrem merito inquit Tertullianus in Lib. *De velandis virginibus* cap. 8. *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacramentalis officii sortem sibi vendicare.* Porro quod in antiquis Canonibus multæ mulieres dicantur *Episcopæ, Presbyteræ, Diaconæ*, eo quidem appellantur nomine, quod earum mariti ad Episcopatum, aut Presbyteratum, vel Diaconatum promoti fuissent, non vero quod Clero ipsæ mulieres nomen dedissent.

(*b*) Ideo non omnes viri ad Clericatum idonei sunt, quod multi ex iis irregulares sunt, de quibus fuse egimus nostro I. Tomo Commentariorum in Romanum Pontificale.

Digitized by Google

in medium qui longe omnibus præſtant; quippe animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine (*a*) Saul Hebræorum gentem univerſam excelluit, ſeu potius multo etiam magis. Neque enim hic nobis humerorum excellentiæ, aut proceritatis menſura quærenda, ſed quanta inter ſe ſe differentia homines rationis uſum habentes, & bruta ratione carentia diſſident: tantum ſane diſcrimen inter eum qui paſcit, atque eos qui paſcuntur, eſſe velim; ut ne majus etiam exigam: ſiquidem in multo etiam majoribus rebus periculum ipſum verſatur. Etenim qui oves prodiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, aut alio id genus caſu ſæviente, fortaſſis veniam nonnullam a domino gregis impetret: ſin & pœnas ille exiget, damnum nonniſi pecunia conſtat.

II. At vero cui homines ipſi rationalis Chriſti grex concrediti ſunt, hunc primum ovibus deperditis non pecuniarum, ſed animæ propriæ jacturam facere oportet, tum vero & certamen longe majus, ac multo moleſtius ſuſtinere. Neque enim illi adverſus lupos pugna eſt, neque a furibus timet, neque ſolicitus anxiuſque eſt de peſte a grege abigenda. Contra quos ergo illi bellum? Quibuſcum lucta? Audi obſecro beatum Paulum (*b*) loquentem: *Non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem, & carnem, ſed adverſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi hujus, adverſus ſpirituales malitias in cœleſtibus.* Videſne terribiles adverſariorum copias? vides phalanges aſperas, non ferro quidem circumſeptas, ſed quibus pro univerſa armatura ingenium ipſius ſuum abundè ſatis eſt? Vis & alium exercitum ſpectare immanem, ac crudelem gregi

(*a*) 1. Regum 10. (*b*) Vide Epiſtolam Pauli ad Epheſios cap. 6.

Digitized by Google

gregi isti insidiantem? Hunc ipsum tibi de eadem specula spectare licebit. Nam qui de illis, quos ante dixi, adversariis verba fecit, hic idem & hos nobis hostes indicat, ita loquens: (a) *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: Adulterium, scortatio, immunditia, lascivia, simulachrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, obloquutiones, susurri, animi tumores*: & alia his longe plura; neque enim omnia annumeravit, sed ex his nobis cetera reliquit intelligenda.

III. Porro quod ad brutorum pastorem pertinet, qui gregem perdere quærunt, ubi viderint illius præfectum fugæ se mandare, missa adversus ipsum pugna, contenti sunt ipsarum pecudum raptu. Hi vero ut universum gregem ceperint, ne sic quidem a pastore manus abstinent, sed eo magis instant, eo magis ferociunt: neque certe dimicandi finem prius faciunt, quam vel illum supplantarint, vel victas ipsi manus præbuerint. Adde his, quod pecuarii morbi aperti sunt, ac manifesti, si vel fames sit, vel pestis, si vulnus, si aliud quodvis dolorem, ægritudinemve patiens: quæ res non modico adjumento esse solet morbis a pecudibus abigendis.

IV. Est item & aliud hoc ipso majus, quod quidem præsentaneum affert ægritudini illi remedium. Quidnam porro hoc est? Magna cum authoritate. Pastores pecudes suas porrectam medicinam capere cogunt: nam & eas vincere proclive, quoties urere, quoties incidere opus: itemque & diutius asservare facile, quandocumque id conducit; & aliud item pro alio pabulum præbere, & arcere a fluentis: præterea cetera omnia, quæcumque pastores probaverint, pecudum saluti conferre, nullo ipsi negotio, nullo

(a) Desumptus est locus ex cap. 5. Epistolæ ad Galatas.

nullo labore adhibere ſolent. Hominum vero morbi principio haud facile ſe ſe homini produnt. Nam quæ intra hominem latent, præter hominis ſpiritum, qui in ipſo eſt, nemo certe alius intelligit.

V. Qua igitur ratione pharmacum adhibere quis poſſit morbo illi, cujus genus nequaquam intelligat? quum etiam perſæpe uſuveniat, ut ne intelligere quidam poſſit, morbus ſubſit, nec ne: qui ubi ſe ſe prodidit, tibi tum majus negotium faceſſit. Neque enim homini licet tanta cum authoritate homines curare, cum quanta oves paſtor curat. Hic enim liberum eſt, & vincire, & a pabulo arcere, & urere, & ſecare, quum illic medicinæ, ac curationis ſuſcipiendæ facultas poſita minime ſit in illo, qui medicinam adhibet, ſed in eo tantum, qui laborat. Hoc enim admirandus ille (*a*) vir quum intelligeret, ſic Corinthios alloquitur: *Non quod dominemur vobis nomine Fidei, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri*. Chriſtianis enim minime omnium licet peccantium lapſus vi corrigere.

VI. Exteri quidem Judices quum facinoroſos homines leges tranſgreſſos fuiſſe deprehenderint, magna ſe præditos authoritate, ac poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel invitos, ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Hic vero non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum ſuſceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data ad delinquentes coercendos: ac ne ſi dediſſent quidem, haberemus, ubi vim hujuſmodi, potentiamque exercere poſſemus: quum Chriſtus eos æterna corona donet, non qui coacti, ſed qui certo animi propoſito a peccato abſtinent. CAP.

(*a*) Eſt is Apoſtolus cujus recitata verba extant in Epiſtola 2. ad Corinthios cap. 1.

Digitized by Google

CAP. III.

Quam caute tractandi delinquentes a Pastore, ne dum mederi vult, ægrum pejus afficiat I. & II. Necessaria Pastori prudentia, & summa vigilantia III. Pastoris amor erga gregem, symbolum amoris erga Christum. Chrysostomi humilitas IV. Ex ejus verbis majorem dolorem se capere ait Basilius, illumque perstringit, vulgi potius, quam proprium judicium sequentem: egregie se tamen excusat Chrysostomus V. VI. & VII.

I. QUamobrem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi ipsi persuadeant, Sacerdotum curationibus sese submittere oportere: neque id solum, sed ut etiam curationis, ac medicinæ nomine gratiam illis habeant. Nam sive qui vinctus, illigatusque est, contumaciter restiterit (id autem per se ipse potest) malum certe exasperat, graviusque reddit: sive admonentis verba instar ferri secantia neglectim transmiserit, aliud sibi vulnus contemptu infert, præbetque medicinæ occasio gravioris morbi materiam: neque enim est, qui hic vim afferat, nec qui curare invitum possit. Quid igitur facias? Etenim si blandius eum tractes, cujus affectum corpus sectione eaque magna indiget, ac nisi altam inflixeris plagam ei qui ea opus habet, fiet ut vulnus ipsum partim sit resectum, partim relictum. Rursum si nulla ex parte parcere volens debitam adhibueris sectionem, fiet sæpe, ut animum ille doloris impatientia despondens, atque adeo omnia simul detrectans, tum pharmacum, tum vinculum, se ipse præcipitem ferat, contrito jugo, ac confracto laqueo. Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos,

ctos, non ob aliud, nisi quod digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur.

II. Neque enim temere ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tamquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium (a) animus, nequa fiat, ut dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias: ac dum eum qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse major per se reddatur. Nam qui infirmi sunt ac remissi, & magna ex parte mundi hujus deliciis, illecebrisque illaqueati, quique iidem a generis claritate, a potentia, atque opibus habere se putant, unde animos magnopere tollant, ii si sensim, ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possint utique si non penitus, attamen parte aliqua eximere se, ac liberare malis, peccatisque, quibus occupantur: quos si justa statim animadversione emendes, fiet, ut minori etiam illa correctione, quam sustinere poterant, prives. Humanus enim animus posteaquam verecundiæ fines semel transire coactus est, in indolentiam dilabitur, tum autem neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis movetur: malitiam etiam superans civitatis illius, in quam Propheta convitiis hujusmodi insurgebat: (b) *facta est tibi meretricia facies, depuduit te adversus omnes.*

III. Quocirca multa quidem opus est Pastori (c) prudentia, sexcentis etiam, ut sic dicam, oculis; ut recte undique humani animi habitum circumspicere possit. Nam sicut aliquoties usuvenit, ut animum

C plerique

(a) Arduum est Episcoporum officium, artemque artium esse homines regere sancti Patres uno ore fatentur. Vide Apologeticam 1. S. Gregorii Nazianzeni, & S. Gregorium Papam in Prologo tertiæ partis sui Pastoralis. (b) Jeremiæ cap. 3.

(c) De prudentia in Episcopo requisita vide quæ dixi Tom. 3. Commentariorum in 3. Partem Romani Pontificalis ad Tit. 28.

Digitized by Google

plerique desponderant, atque in suæ salutis proruant desperationem, non ob aliud, nisi quod ab amaris acerbisque medicamentis abhorreant; ita nonnullos reperias, qui hoc ipso, quod pœnas peccatis suis pares non luerint, in negligentiam ac contemptum dilabantur, ac longe deteriores facti, majorem peccandi licentiam sibi vendicent. Itaque nihil horum relinquendum est, quod probe non excutiat, atque examinet Episcopus; quin omnia accurate, ac studiose perscrutatum, tum demum illum oportet sua ipsius remedia congrue, apte, accommodate, afferre, idque ne operam forte ludat. Ceterum non his solum quæ dixi, verum etiam in abscissis Ecclesiæ membris committendis conjungendisque, multis illum negotiis distringi videas. Etenim ovium Pastor gregem habet e vestigio subsequentem, quacumque præierit: quod si quæ de recta via oves deflectant, ac feraci pabulo posthabito, sterilia, atque abrupta loca depascant: satis habet pastor altius aliquantum inclamare, ut palantes, ac dispersas reducat, atque in gregem cogat.

IV. Si vero a recto Christianæ fidei tramite aberraverit quis, hic Pastori magnum certe opus incumbit magnum negotium, magna tolerantia. Neque enim vis illi inferenda, neque terrore ille cogendus, verum suadendus tantum, ut de integro ad veritatem redeat, unde initio dilapsus est. Itaque magnum, ac generosum animum ad eam rem Episcopum afferre oportet, ut ne animo deficiat, ac dilassetur, ut ne errantium salutem desponderat, ac desperet, denique ut numquam non illud secum cogitet, ac dicat: (a) *Si quando det illis Deus veritatis agnitionem, ac resipiscant e diaboli laqueo*. Propterea Dominus quum discipulos alloqueretur ait: *Quisnam fidelis servus ac pru-*

(a) Locus desumptus ex Epistola 2. ad Timotheum, cap. 2.

prudens? (*a*) Etenim qui ſuum ipſius animum excolit, ſibi duntaxat utilis eſt: at paſtoralis functionis lucrum ad univerſum populum manat: & qui pecuniam indigentibus erogat, aut qui alioqui injuria preſſos ſublevat, is & proximos quidem juvat; ſed tamen id tanto minus præſtat, quam Epiſcopus, quanto diſſident inter ſe intervallo corpus atque anima. Non abs re igitur Dominus paſtoris ſtudium ad verſus gregem impenſum, amoris, ac charitatis erga ſe ſymbolum eſſe dixit.

V. BASILIUS. Tu vero, inquit, Chriſtum non amas?

CHRYSOSTOMUS. Et amo, inquam, & amare certe numquam deſiſtam: ceterum vereor, ne quem amo, eum irritem.

BASILIUS. Hoc vero, inquit, ænigmate quodnam aliud obſcurius eſſe queat: ſi Chriſtus illum, a quo ametur, oves ſuas paſcere juſſit, tu autem hoc nomine nolle paſcere affirmes, quod eundem illum qui hoc juſſerit, ames?

CHRYSOSTOMUS. Non eſt, inquam ego, ſermo hic ænigma, quinimo valde apertus, & ſimplex. Nam ſi par atque idoneus adminiſtrando muneri iſti, juxta id, quod Chriſto placitum eſt, nihilo ſecus tamen munus ipſum detrectaſſem, hæſitare quidem ad verba mea conveniret, poſtea vero quam me ad functionis iſtius præſtationem animi hujus imbecillitas minus idoneum reddidit, quis huic quæſtioni, dubitationive locus? Etenim vereor, ne ſi provinciam ſumpſero regendi Chriſti ovile jam valens ac vegetum, deinde illud idem ſocordia, negligentiaque mea depravavero: eum contra me irritem, qui ſic illud ovile dilexit, ut ſe ipſum ob illius ſalutem, ac pretium dediderit.

(*b*) Matthæi cap. 24.

VI. BASILIUS. Joco hæc, inquit ille, loqueris? Nam si extra jocum, equidem non video, quibusnam aliis melius argumentis a te demonstrari potuerit, justo nos dolore vexari, quam istis tuis verbis: quibus tamen ab animo meo mœstitiam hanc depellere studiose adlaborasti. Antea enim cum noviſſem me a te deceptum, ac proditum, nunc autem id longe etiam apertius, dum objecta tibi crimina diluere adgressus es: equidem beliſſime hinc capio, atque intelligo, quo me tandem malorum adegeris. Nam si te hoc demum nomine à functione hujusmodi summoviſti, quod intelligeres animi tui facultates nequaquam pares rei ipsius moli sustinendæ, me sane prius exemptum esse oportuit, etiamsi id muneris summo studio ambiviſſem, ne dicam hic rei totius consilium, curamque tibi a me fuisse commissam. Nunc vero tu tuis unius partibus prospiciens, nostras plane neglexisti. Atque utinam neglexisses tantum: mecum enim vel hac ratione præclare actum existimasses. At vero & tu quoque author consultorque ejus artis fuisti, qua facile in hostium nos captantium manus incideremus.

VII. Neque enim possis ad id effugii te conferre, quod tibi videlicet vulgi opinio fucum fecerit, atque hinc adductus sis, ut magna quædam, atque admiranda de nobis conciperes: utpote qui is certe non esſem, qui inter admirandos, insignes, atque excellentes viros numerari deberem. Neque tamen, ut se ita res haberet, vulgi opinionem veritati præpositam esse oportuit. Nam si tibi numquam antea per nos licuisset, ut consuetudinis nostræ periculum faceres; haberes certe unde honestum sumeres prætextum in hoc, quod in suffragio isto ferendo vulgarem famam fueris sequutus: sin nemo omnium, qui res

nostras

noſtras omnes notiores habeat, quam ipſe habeas, eouſque ut animus hic uni tibi magis ſpectatus perſpectuſque ſit, quam iis, qui me, vel genuere, vel educavere: quæ tandem oratio ſic probabilis uſurpari a te poſſit, ut perſuadere auditoribus queas, me abs te ultro in periculum hoc nequaquam fuiſſe conjectum? Verum prætermittantur & hæc in præſentia: neque enim cogimus, ut tu horum nomine cauſam dicas: tantum effare, quanam defenſione apud eos utamur, qui nos inſimulant.

CAP. IV.

Judicium de eligendo ad Sacerdotium idoneo non ex ſola vulgi opinione petendum, ſed Sacerdotio initiandum prius eſſe examinandam I. & II. Animum generoſum in Epiſcopo requiri III. Signum diſcipulorum Chriſti charitatis virtus IV. Egregia Baſilii humilitas V.

I. CHRYSOSTOMUS. Ego vero, inquam, non antea ad illa me convertam, quam ea diluero, quæ ad te ſpectant, etiam ſi nos ſexcenties velis criminibus hujuſmodi vacare. Ignorantiam enim dixiſti veniam nobis impetrare poſſe, noſque nulli prorſus criminationi obnoxios fore, ſi in rerum tuarum omnium ignoratione verſantes, te in præſentem rerum ſtatum deduxerimus. Ceterum quoniam te non ignoratione prodidimus, ſed quum maxime res omnes tuæ cognitæ nobis eſſent, propterea vis excuſationem omnem, quæ ratione niti ipſa poſſet, defenſionemque quamlibet juſtam ſublatam præreptamque nobis eſſe. At nobis ſane contraria ſententia. Hujuſmodi enim res magno admodum, judicio quidem meo, (a) exa-

(a) Fuſe de hac re diſputavimus in noſtris ad Romanum Pontificale Commentariis; eſtque diſciplina ſexcenties a ſacris Canonibus, & ſanctis Patribus inculcata.

Digitized by Google

examine indiget: eumque oportet, qui exhibiturus sit, quem ad Sacerdotii functionem censet, non vulgarem tantum famam, atque opinionem sequi, eaque esse contentum; sed eundem item necesse est una cum ea illius vires facultatesque in primis excutere, atque ante omnia examanare. Nam quum beatus ille Paulus de ea differens ait (a) *Oportet autem illum & bonum habere ab externis testimonium*: nequaquam tollit exactam exploratamque indagationem, neque sane fidem eam, quæ sibi a vulgi opinione facta sit, ut præcipuum signum, aut ejusmodi hominum approbationis totius cardinem esse vult: quippe multa prius quum differuisset, id postea adjunxit: ostendere volens, non satis hoc oportere ad hujusmodi electiones, creationesque faciendas, sed una cum aliis & hoc item præsidii a nobis assumendum esse. Nam sæpe usuvenit, ut vulgi opinio falsa sit; a qua tamen nihil periculi exoriri possit, si res ipsa tota per se prius exacte, ac diligenter discussa, atque examinata fuerit.

II. Quocirca post alia, illud ipse de testimonio ab externis posuit. Neque enim simpliciter hoc dicit: *Oportet autem illum bonum habere testimonium*, sed illud etiam *ab externis* attexuit, planum facere volens, futurum Episcopum intrinsecus magna cum diligentia excutiendum, atque examinandum, antequam ad eam opinionem descendas, quam de eo vulgus conceperit. Itaque quod vita tua ac mores magis mihi, id quod tute profiteris, noti spectatique sint, quam parentibus ipsis tuis, ob id dignus sim, qui ab omni criminatione liberer.

III. BASILIUS. Vel hoc nomine, inquit ille, elabi, atque evadere nequaquam possis, si te quis accusare, atque in judicium trahere velit. An non ipse

(a) Vide Epistolam Pauli primam ad Timotheum cap. 3.

Digitized by Google

ipſe meminiſti a nobis audire, id quod & ſæpe numero re, ipſa comprobaſti, animus hic, quam parum fortis generoſuſque eſſet? an non perpetuis iſtis cavillis puſillanimitatem nobis objeciſti? quod videlicet natura noſtra curis etiam levibus facile ſuccumbamus?

IV. CHRYSOSTOMUS. Memini, inquam, hujuſmodi quidem ex te verba ſæpe numero audire, neque ibo inficias. Ego vero ſi quando cavillabar, joco, non ſerio id factitabam. Mihi tamen hic ea de re tecum contendere non eſt animus. Poſtulo autem a te, eandem mihi ut tu æquanimitatem præſtes, bonorum, virtutumque, quibus animus iſte præditus eſt, mentionem facere aggredienti. Nam ſi tum conaberis mendacii nos convincere, equidem nihil diſſimulans, liquido commoſtrabo, modeſtiæ potius iſtius, quam veritatis cauſa ſic de te verba facere. Id quod non aliis argumentis comprobaturus ſum, quam nudis tum verbis, tum factis tuis; quibus ego perinde, atque certiſſimis teſtibus utar ad plenam dictorum meorum fidem faciendam. Atque id ex te primum quærere voleo. Noſtin charitatis vis quanta ſit? certe Chriſtus reliquis prodigiis, ac miraculis poſthabitis, quæ ab Apoſtolis edenda eſſent: *In hoc*, inquit, (*a*) *cognoſcent homines, quod diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem inter vos mutuam habueritis*. Quin etiam (*b*) Paulus charitatem legis eſſe conſummationem affirmat; ſine qua ipſa dona nulli uſui eſſe vult. Proinde eximium iſtud bonum, idemque Chriſti Apoſtolorum ſignum unicum, ac quod quidem ceteris donis ſuperius, excellentiuſque eſt, ſcio, in animo tuo generoſe admodum, ac præclare inſitum eſſe, copioſoque inibi fructu exuberare.

V. Tum BASILIUS: Mihi, inquit, magnæ eam rem

[*a*] Joannis 13. [*b*] Vide Pauli Epiſtolam ad Romanos c. 13.

Digitized by Google

curæ, ac ſtudio eſſe, ne ipſe quidem inficior; me tamen eandem ne dimidia quidem parte impleviſſe, vel tu ad eam rem teſtis mihi optimus fueris, ſi quidem, quod verum eſt, ſpectare magis, quam quæ ad gratiam faciunt, loqui, in animum tuum induxeris.

CAP. V.

Demonſtratio virtutis Baſilii, & quam vehemens ſit ejus charitas I. Quanta ejus prudentia II.

I. ERgo ad argumenta ipſa, inquam, me convertam, atque hic certe, quod promiſi, exequar, facta per me fide, te animi iſtius modeſtiam magis, quam rei veritatem ſequi. Proferam autem hiſtoriam admodum recentem, ut ne quis ſuſpicari poſſit, vetera recenſentem, temporis diuturnitate verum ipſum tamquam adumbrare me velle; quum alioqui etiam veritas minime permittat, quicquam nos affingere vel iis ipſis quæ ad gratiam prolata a nobis fuerint. Nam quo tempore unus quidam ex amicis neceſſariiſque noſtris per calumniam accuſatus contumeliæ ac contumaciæ de ſalute periclitaretur, hic te ipſe, quum neque is qui periclitaretur, auxilium tuum imploraret, in media ipſa pericula ultro conjeciſti. At factum quidem tale tuum extitit. Ut autem te verbis etiam tuis convincamus, quum animi tui propenſionem hujuſmodi alii non probaſſent, alii contra laudaſſent, admiratique fuiſſent, hic tu ad eos qui te accuſarent dixiſti: *Quidnam ipſe facerem, aliter enim amare non didici, niſi ut & animam meam in diſcrimen adducam, dum periclitantem amicum aliquem ſervare opus eſt.* Diverſis quidem verbis, ſed ſenſu eodem ea enuncians quibus Chriſtus diſcipulos ſuos alloquebatur, poſitis ab eo perfectæ charitatis terminis: (*b*) *Majorem enim*, inquit,

(*b*) Joannis cap. 15.

quit, *hac charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis*. Igitur ſi majorem hac invenire non eſt, ad ipſius finem perveniſti; atque adeo tum verbis tum etiam factis iſtis ad ipſius verticem conſcendiſti. Propter quod unum te ipſi, dolo illo a nobis conſuto, prodidimus. Etiam igitur tibi perſuaſum eſt, te a nobis in iſtud ſtudium protractum, neque ulla malevolentia erga te noſtra, neque ut te in periculum aliquod conjiceremus, quin potius id a nobis factum, qnod certum nobis eſſet, quam utilis, accommoduſque futurus eſſes?

II. BASILIUS. Ita ne, inquit, charitatis vinculum ſufficere putas ad proximorum correctionem, atque emendationem?

CHRYSOSTOMUS. Maxime quidem, in quam, ſac magna adeo ex parte ad id conferre charitas (*a*) poſſit. Ceterum ſi me vis & prudentiæ item iſtius ſpecimina proferre, ad id quoque me accingam: oſtendamque majori te prudentia, quam charitate, ac benevolentia præditum.

BASILIUS. Ad hæc ille verecundia tactus, ruboreque ſuffuſus: Quæ ad me, inquit, ſpectant, nunc omittantur: neque enim jam inde ab initio horum rationem a te exegimus. Tu vero ſi quid habes quod juſte aliis apponere poſſis, lubens eos ſermones auſcultabo. Itaque prætermiſſa hac umbratili pugna, edoce, quidnam ceteris reſpondere poſſimus: hoc eſt tum iis qui nos tali honore dignati ſunt; tum iis, qui vicem illorum tamquam injuria a nobis affectorum dolent.

CAP.

(*a*) Hæc eſt ſane virtus, quæ elucere in Epiſcopis præſertim debet. Quantum ea virtute enituerit S. Chryſoſtomus, ex iis licet addiſcere, quæ factus deinde Epiſcopus pro Chriſto & ejus grege invicto animo pertulit.

Digitized by Google

CAP. VI.

Præstat offendere homines quam Deum I. Contumeliæ & ambitionis excusatio II. Nævi quibus plerumque defœdari solitæ sunt Episcoporum electiones III. Nova Chrysostomi excusatio IV. & V.

I. CHRYSOSTOMUS. Equidem ad id, inquam, jam festino: nam quandoquidem tibi jam expedivi facti erga te mei rationem, facile ad apologiæ istius partem me convertam. Quam igitur super hisce accusationem, quas illi criminationes afferunt? Gravem se videlicet injuriam a nobis accepisse queruntur, quod quem nobis illi honorem deferebant, non suscepimus. Ego vero illud primum dico, nullam nos rationem habere oportere injuriæ per nos hominibus illatæ, quoties per delatum eis honorem, Dei optimi offensionem subire cogimur: quum iis etiam, qui se injuriam hujusmodi accepisse ægre ferunt, boni eam non consulentes, hoc certe ipsum, quod boni scilicet non consulant, ne a periculo quidem alienum sit, verum inprimis dispendiosum, atque detrimentosum. Decere enim existimo illorum animos, qui Deo optimo dicati sunt, quique in illum unum intuentur, tanta religione affici, ut ne id quidem injuriæ loco habeant, etiam si abs re iidem contumeliis millies affecti sint.

II. Sed quod hujusmodi audacia ne in hujus quidem animi cogitationem descenderit, constare illinc potest. Nam si contumacia, fastu, atque ambitione, ut tute sæpenumero affirmasti, multos calumniari, ad id deductus sum, certe nihil prohibeat, quin hominis maxime injurii notam subeam, iis sic per me contemptis, qui præterquam quod magna, atque admirabili virtute clarent, de me quoque sunt benemeriti.

meriti. Etenim si in eos animadvertere debemus, qui injuriam iis inferunt, a quibus nulla ipsi injuria lacessiti sunt: quanto, quæso, honore digni esse queant, qui nobis ex se ultro honorem aliquem deferre proposuerint? Neque enim hoc dicere quis possit, illos beneficio a me vel tenui vel magno affectos, meritorum acceptorum vicem reponere voluisse. Quodnam igitur supplicium non mereatur, si quis contrariis factis repenset? Sin autem id ne cogitavimus quidem, sed longe alio consilio gravem istam sarcinam detrectavimus: quorsum prætermissa facti nostri condonatione, ac venia, si probare id ipsi factum nolint, criminantur, insimulantes, quod nostræ animæ pepercerimus?

III. Tantum enim abest, ut ii ullam a me injuriam acceperint, ut eos etiam honore affectos dicere possim recusatione hac nostra. Neque vero mirum id tibi esse debet quod dixi, perinde quasi dictum id sit præter communem hominum sensum: nam de eo quoque tibi mox satisfecerimus. Tum enim si minus omnes, certe qui maledicentia delectantur, potuissent pleraque tum suspicari, tum eloqui, partim de me electo, partim de illis eligentibus. Verbi gratia, quod divitias illi solas spectant, quod generis splendorem admirentur, quod a nobis adulatione victi eum nobis honorem mandassent. Nam quod & pecunia adducti corruptique, dicere non habeo, siquis & ipsum hoc suspicetur. Præterea, Christus quidem, (*a*) piscatores, tabernaculorumque texendorum artifices

(*a*) Tales fuere inter, alios Apostolos, Petrus, & Andreas. *Adverte cœleste consilium*, inquit S. Ambrosius lib. 5. in Lucæ cap. 6. *Non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiæ, nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur.*

Digitized by Google

tifices (*a*), itemque publicanos (*b*) ad hujuſmodi magiſtratum advocavit: hi autem eos reſpuunt, deſpiciuntque, qui ſibi quotidiano opere victum parant: ſin vero quis peregrinas literas, ſtudiaque nihil ad ſcripta Evangelica pertinentia attigerit, atque in otio vitam tranſigat, hunc ipſum admittunt, probant, admirantur. Nam quo nomine, eos qui ſudores propemodum infinitos pertulere, dum Eccleſiæ utiles eſſe ſtudent, contempſerunt; & eum qui nihil unquam ſudorum illorum guſtaverit, totam vero ætatem in futili, atque inutili externorum ſtudiorum laborem inſumpſerit, derepente in tam ſublimem honorem (*c*) traxere?

IV. Hæc quæ dixi, atque adeo plura dicere illis licuiſſet, ſi hujuſmodi honos a nobis fuiſſet ſuſceptus: id

[*a*] Artifex texendorum tabernaculorum fuit quidem Paulus Apoſtolus, qui uti habetur in Actis Apoſtolicis cap. 18. egteſſus Athenis, venit Corinthum, ibique recepit ſe apud Aquilam Ponticum opificem ſcenofactoriæ artis (nimirum quæ ex pellibus facienda conſueret tabernacula, quibus milites uterentur in campis) quod & ipſe Paulus ejuſdem eſſet artis, quam & tunc cum Aquila exercuiſſe, Lucas in memoratis Actis ſcribit. Unde id acciderit, ut Paulus nobilitate inſignis, & eruditione præclarus, opificium didicerit, docet Baronius ad annum Chriſti 52.

(*b*) Unus ex iis fuerat S. Matthæus, uti videre eſt in ejus Evangelio cap. 9. & apud S. Hieronymum in commentario ejus capitis.

(*c*) Deplorandus plane abuſus, quod homines ſacrarum literarum ignari ad Epiſcopatus apicem evehantur, poſthabitis non ſemel viris eximiis, & iis qui ſedulam bonis ſtudiis operam contulerant. Quæ ſcientia in Epiſcopo requiratur, edocet inter alias ſeptima ſynodus œcumenica can. 2. Sane dolet in Epiſtola ſua 87. ad Epiſcopos Africanos S. Leo Papa cap. 1. tantum apud ipſos aut ambientium præſumptionem, aut tumultum valuiſſe popularem, *ut indignis quibuſque, & longe extra Sacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium, & gubernatio Eccleſiæ crederetur: Non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen &c.*

id quod illis nunc in contrarium evenit, ut quibus maledicentiæ occasio omnis præcisa sit, neque jam mihi adulationem, neque illis sordes, ac corruptelam obiicere possunt: nisi si qui forte erunt, qui mere insanire volent. Nam qui adulatione, largitioneve honorem aliquem candidatus ambierit, hic qua ratione eum, tum quum suscipere oporteat, aliis suscipiendum ipse relinquat? Etenim perinde fuerit, ac siquis laboribus multis in excolenda terra impensis, ut segetem copiosam novalia reportent, ac vino lacus exundent, post sudores infinitos, post multum pecuniæ sumptum, cum messis ac vindemiæ tempus appetit, tum aliis fructuum illorum proventum fruendum relinquat.

V. Intelligis ne tum calumniari illos volentibus occasionem haud quaquam fuisse defuturam, etiamsi longe a veritate alienam: quod videlicet facta ab illis de nobis electio, a recto animi judicio nata nequaquam fuisset: qui tamen nunc ne hiscere quidem, aut labia tantum diducere per me possunt. Ac tales quidem initio illorum extitissent sermones, seu etiam his, quos dixi, plures additi. Ceterum posteaquam muneris functionem attigissemus, nullæ certe illorum defensiones, criminationibus quotidie exorientibus pares esse potuissent: etiam si a nobis omnia inculpate administrata fuissent: ne dicam, necessario futurum fuisse, ut partim ministerii imperitia, partim ætatis hujus vitio in multis aberraremus. Nunc vero eisdem criminationis hujus occasionem sustulimus: tum autem futurum erat, ut prorsus ipsos innumeris obnoxios redderemus. Quotusquisque enim id non fuisset conquestus? Pueris insipientibus res tam miras, tamque magnas crediderunt: depravaverunt Dei optimi gregem: ludicræ, ac jam ridiculæ factæ sunt res christianæ.

ſtianæ. At vero nunc omnis iniquitas oppilabit os ſum. Si enim propter te iſta protulerint, e veſtigio eos re ipſa edocebis, non oportere prudentiam ætate metiri, neque ſenem canitie probare, neque juvenem arcendum ab hujuſmodi miniſterio, ſed neophitum (*a*) novitiumque. Maximum autem inter utrumque diſcrimen.

DE SACERDOTIO

LIBER III.

CAP. I.

Oſtendit hic primum Chryſoſtomus, non per ſuperbiam declinaſſe Epiſcopatum I. Tum ait, male de Sacerdotio ſentire, qui putant illud ex arrogantia, & ambitione detrectari II.

1. JAM quod ad eam injuriam pertinet, qua eos a me affectos fuiſſe dicis, qui me cohoneſtarunt, tum quod nullo eos dehoneſtandi conſilio ab iſto me honore ſubtraxerim, afferri quidem a nobis ea poſſent, quæ diximus. Ceterum quod nullo etiam faſtidio, nulla contumacia inflati id fecerimus: id ipſum quoque nunc pro viribus tibi planum facere adnitar. Etenim ſi nobis vel imperii militaris, vel regni etiam propoſita fuiſſet optio, potuiſſet quis id merito de me ſuſpicari, ſi modo eandem hanc ſententiam ſequutus fuiſſem, quam hic ſequutus ſum: ſeu verius dicam, tum ſane nos nullus faſtidii, ac contumaciæ inſimulaſſet, amentiæ vero, ac ſtultitiæ nemo non damnaſſet. Sacerdotii vero optione propoſita, quod quidem

(*a*) Neophitos ad Epiſcopatus minime eſſe admittendos mandat quidem Apoſtolus in Epiſtola I. ad Timotheum, cap. 3.

quidem regno (*a*) tanto est excellentius, quantum spiritus, & carnis intervallum esse potest, subsistinebit ne quisquam contemptus, ac fastidii nos accersere? Quî porro id non absurdum, eos qui provincias pusillas respuunt, ut deliros incusare: eos vero qui hoc idem in maxime excellentibus factitant, liberare quidem amentiæ crimine, insolentiæ autem, ac superbiæ reos agere? perinde quasi siquis eum qui boum armentum despiceret, armentarius esse recusans, animi quidem insolentia nequaquam præditum esse, mentis autem alienatione prorsus laborare criminaretur: ei vero, qui orbis universi regnum deprecaretur, neque pateretur exercituum ubique terrarum instructorum imperium ad se deferri, pro amentiæ crimine, fastus tantum, atque insolentiæ crimen impingeret?

II. Sed non est ita, non est ita: neque certe nos magis quam se ipsos incusant, qui ista afferunt. Nam vel cogitasse tantum, fieri posse, ut tanta illa Sacerdotii dignitas ingenio sit humano despicabilis, id contra eos ipsos, qui sermones hujusmodi usurpant, indicium argumentumque esse possit opinionis ejus, quam idem de re, de qua agitur, concipiunt; Nam si Sacerdotium inter res viles, modicique pretii ponerent, ne ista quidem suspicio se se in animos ipsorum insinuasset. Cur enim de Angelica dignitate nullus umquam inventus est, qui tale aliquid sustineret suspicari, ac pronunciare, humanum ingenium

præ

(*a*) Ambrosius non semel scripsit honorem Sacerdotalem nullis posse comparationibus adæquari; tum etiam scriptum reliquit: *Si Regum fulgori compares, & Principum diademati*, loquitur de Sacerdotio, *longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares* S. Ignatius in Epistola ad Smyrnenses, de Sacerdotii dignitate loquens, ita inquit: *Enumera honores, divitias, dignitates, denique mundi regna, omnium opex est Sacerdotium.*

Digitized by Google

præ faſtu, ac contumacia ad naturæ Angelicæ honorem, dignitatemque non aſpirare? Nempe magna quidem ea ſunt, quæ animo concipimus de poteſtatibus illis; atque id ipſum vetat, ut credamus, licere homini majorem illa dignitatem animo concipere: quo fit, ut conſentaneum magis ſit, ſi quis in illos, faſtus, ac contumaciæ crimen id torqueat, quod in nos impingunt ipſi: neque enim id de aliis ſuſpicati fuiſſent, niſi rem ipſam prius damnaſſent, ac nihil æſtimaſſent.

CAP. II.

Chryſoſtomi argumentum, quo non propter vanam gloriam ſe fugiſſe oſtendit I. & II.

I. PORro autem ſi id me dicent gloriæ atque ambitionis nomine commiſiſſe, iidem ſibi ipſis non conſtare, imo pugnantia ſecum loqui aperte coarguentur. Neque enim video quamnam aliam orationem quæſiviſſent, ſi nos inanis gloriæ criminibus liberare voluiſſent. Nam ſi in animum forte meum laudis amor hujuſmodi invaſiſſet, amplecti potius munus illud oportuit, quam averſari. Quid ita? Nempe quod ea res magnæ nobis gloriæ, magno honori futura fuiſſet. Hominem enim hoc ætatis natum, quique idem haud ita pridem vitæ hujus curis ſeſe abdicaſſet, derepente in tantam hominum admirationem veniſſe, ut iis etiam, qui in laboribus hujuſmodi omnem ætatem conſumpſiſſent, anteponeretur, & plura illis ſuffragia reportaret: id vero neminem non attraxiſſet in magnam aliquam, atque admirandam noſtri opinionem: tum autem nobis paſſim venerationem, illuſtremque nominis hujus gloriam conciliaſſet: ubi me nunc, demptis paucis, Eccleſiæ bona pars ne de nomine quidem norunt. Quamobrem ne omnibus quidem innoteſceret, deprecatum

catum fuiſſe, quod offerebatur, ſed paucis quibuſdam, quos paucos ne omnes quidem ipſos, rem, ut ſe habet, reſciſcere opinor. Conſentaneum enim eſt, ex iis etiam complures aut exiſtimare nullam prorſus de nobis electionem factam, aut ab electione nos rejectos fuiſſe, tamquam non ſatis idoneos viſos: non etiam nos ultro id functionis devitaſſe.

BASILIUS. At vero, inquit, quibus rei comperta eſt veritas, demirabuntur.

II. CHRYSOSTOMUS. Atqui hos ipſos dixiſti ambitionis nobis atque inſolentiæ crimen impingere? Undenam ergo laudem ſperare licet? A multis? Sed neſciunt illi rem, ut ſe habet. A paucioribus? Verum & hic nobis res in contrarium recidit. Neque enim alio nomine huc introiſti, quam ut edocereris, qua adverſum illos defenſione uti poſſes. Sed quorſum horum gratia hic tantopere diſceptamus? Quod enim ſi vel omnibus res ea innotuiſſet, ne ſic quidem aut inſolentes, aut ambitioſi judicandi eſſemus: pauliſper ſuſtineto, idque aperte intelliges; itemque illud, quod non iis ſolum, qui hoc audentiæ ſibi ſumunt, ſi modo quiſquam exiſtit mortalium talis, nam exiſtere haud quaquam credo, ſed iis etiam, qui id de aliis ſuſpicantur, periculum imminet haud mediocre.

CAP. III.

Tremendum Sacerdotium longe magis in novo quam in veteri Teſtamento I. & II. Sacra noſtra quanto veteribus digniora III.

I. ETenim Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt: atque id perquam merito; quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed

ipſe Paracletus ordinem hujuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, ut Angelorum miniſterium animo conciperent. Iccirco neceſſe eſt, Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret. Terribilia namque, atque horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt: quod genus fuere, (*a*) tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, itemque alii humeris ejuſdem ſuperpoſiti, mitra, cydaris, veſtis ad pedes uſque demiſſa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intus quies, atque ſilentium.

II. At vero ſiquis ea, quæ gratiæ tempus nobis advexit, examinet, terribilia, atque horrifica, quæ dixi, judicabit eſſe admodum levia, ac quod de lege a Paulo (*b*) dictum eſt, hic demum verum eſſe conperiet; quandoquidem *ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte propter eminentem gloriam*. Nam dum conſpicis Dominum immolatum, & illic ſitum Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine (*c*) intingi, ac rubefie-

(*a*) Vide hæc cap. 28. Exodi.

[*b*] Vide Epiſtolam 2. ad Corinthios cap. 3.

(*c*) Alludit hic Chryſoſtomus ad illum Eccleſiæ ritum, qui aliquandiu uſitatus fuit præbendæ laicis divinæ Euchariſtiæ non modo ſub ſpecie panis ſed etiam vini. Communicaſſe quoque aliquando fideles ſub ſola ſpecie vini, conſtat ex innumeris, iiſque vetuſtis Eccleſiæ monumentis, ut ſcitiſſime obſervat noſtri Neapolitani Regni, ac Dominicanæ familiæ decus eximium, eruditiſſimus Scriptor Pius-Thomas Milante Sac. Theol. Mag. & Regius in Neapolitana Studiorum Univerſitate Profeſſor exercitatione 31. in Propoſitiones 55. & 56. proſcriptas ab Innocentio XI. pag. 336. Porro ad memoratum ritum alludere viſa eſt S. Agnes Virgo, & Martyr, ubi dixit: *Sanguis ejus ornavit genas meas*: ut in ejus officio legitur die 21. Jan. Hodie jure ac merito uſus calicis laicis ſublatus eſt ex decreto Conc. Coſtantienſis, & Tridenti

Digitized by Google

befieri, etiamne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? an non potius e veſtigio in cælos transfereris? an non carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo animo, mente pura circumſpicis, quæ in cælo ſunt? O miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum excipere, ac complecti. Fit autem id nullis præſtigiis, ſed apertis, ac circumſpicientibus circumſiſtentium omnium oculis. Num tibi iſta contemptu, ac deſpectu digna eſſe videntur? aut ejuſmodi, ut poſſit quis contra ea attolli, atque inſurgere?

III. Viſne & ſanctimoniæ iſtius excellentiam alio miraculo perſpicere? Ponito ob oculos (*a*) Eliam illum, præterea & infinitam illam turbam circumfuſam, & ſacrificium lapidibus ſuperpoſitum, tum vero reliquos omnes admodum quietos, ac taciturnos, ſolum autem Prophetam preces fundentem, ſecundum id flammam derepente e cælo delabentem, Sacrificiumque ipſum lambentem: mira ſunt iſta profecto, ac ſtupore omni plena. Ab illis ergo ſacris ad noſtratia ſacra te transfer; nec ea mira modo eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos non ignem geſtans, ſed Spiritum Sanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma cælitus delapſa, ſacra appoſita abſumat; ſed ut gratia in Sacrificium influens, per illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne excocto, purgatoque. Hoc ergo myſterium omnium maxime horrendum verendumque quis tandem, qui non admodum ſit inſanus, quique mente alienata nequaquam ſit, faſtidire, ac deſpicere poterit? An ignoras

(*a*) Vide ejus rei hiſtoriam lib. 3. Regum, cap. 18.

Digitized by Google

futurum nunquam fuisse, ut humanus animi captus sacrificii ignem illum sustineret, sed funditus omnes tum fuisse interituros, nisi magnum divinæ gratiæ auxilium affuisset?

CAP. IV.

Potestas Sacerdotum quanto excellentior potestate Regum, & Principum I. Per ipsos gehennam effugimus, & Cælum obtinemus, ideoque præ Regibus illi, & Principibus, imo & parentibus honorandi II. & III.

I. NAM siquis consideret, quantum id sit mysterium, ut is scilicet, qui homo ipse sit carne, ac sanguine etiamnum constans, iisque involutus, beatæ, atque immortali naturæ illi fieri propior queat; tum probe intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus Sancti gratia dignata fuerit: operantibus enim illis, tum sacra, hæc quæ dico, initiantur, perficiunturque: tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis, salutisque nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: (a) *Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in Cælo; & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in Cælo.* Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum; id autem quod dico sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit, usque adeo, ut

(a) Extat hoc Christi oraculum in Evangel. Matthæi, cap. 18.

ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet.

II. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? (a) *Quorumcumque*, enim ait, *peccata remiſeritis, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? (b) *Pater omne judicium filio dedit*: ceterum video ipſum omne judicium a Dei filio illis traditum. Nam quaſi jam in cælum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, ut poteſtatem habeat quoſcumque velit in carcerem conjiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus judicio omnium fuerit: at vero qui a Deo tanto majorem accepit poteſtatem, quanto cælum terra pretioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtant, hic vilem eo uſque dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogitationem deſcendere queat, reperiri quandoque poſſe unum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulo ante dixi, fuerint a Deo concredita, cui ipſi munus ſuum ſordeſcat, quique donum ſibi a Deo datum deſpiciat?

III. Procul, procul hinc faceſſat hujuſmodi inſania. Inſania enim manifeſta, deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi (c) *non poteſt quis in Regnum Cælorum ingredi, niſi per aquam, & ſpiritum regeneratus fuerit*. Et, (d) *Qui non*

(a) Legitur hoc Chriſti effatum in Evangelio Joannis cap. 20.
(b) Joannis 5. (c) Joannis 3. (d) Joannis 6.

Digitized by Google

non manducat Carnem Domini, & Sanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur: omnia autem hæc haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, Sacerdotum: qui fiet, ut citra illarum opem, aut gehennæ ignem evitare quis possit, aut repositæ in cælo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum creditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus est a Deo commissus: per hos ipsos Christum induimus, una cum Dei filio sepelimur, & beati illius capitis membra efficimur: quo nomine Sacerdotes merito non modo plus vereri debemus, quam vel Principes, vel Reges, verum etiam majori honore quam parentes proprios honestare. Hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt: illi vero authores nobis sunt nativitatis ejus, quam a Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeo adoptionis ejus, qua nos per gratiam filii Dei sumus effecti. (*a*)

CAP. V.

Quam magnorum munerum minister sit Sacerdos I. Sacerdotes parentibus potiores, eorumque majora sunt beneficia quam parentum II. Contumaciæ, temeritatis, & audaciæ accusandi qui Episcopatū ambiunt III.

I. COrporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum (*b*) Sacerdotibus solis licebat: neque

[*a*] Cum tot beneficia ministerio Sacerdotum accipiamus, quis non videt, quantam ii pœnam merentur, qui Sacerdotium inhonorant, sactisque hominibus detrahunt; *Absit*, ajebat S. Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, *ut de his quicquam siniſtrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt; per quos & nos Christiani sumus, qui claves Regni Cælorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant.*

(*b*) Levitici cap. 13.

Digitized by Google

que neſcis, quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio, ac concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare judicio quidem meo qui iſtos deſpiciunt, contemnuntque, multo ſceleratiores, ac majori ſupplicio digni fuerint, quam fuerit (a) Dathan una cum ſuis omnibus. Illi enim tametſi principatum ad ſe non ſpectantem ſibi vendicabant, tamen miram quandam de eo principatu opinionem animo conceperant: idque declaravit ingens rei concupitæ ſtudium. Hi autem tum, quum jam Sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præſtantiam magnam accepit, contra quam illi, ſed tamen multo majora audent. Neque enim perinde eſt ad deſpicientiæ rationem ſubducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaque bona faſtidire: verum facinus hoc tanto eſt illo gravius, quanto inter ſe diſſident intervallo faſtidium & admiratio. Quis ergo tam infelici genio natus, ut tot tantaque bona faſtidiat? Et quidem neminem exiſtere talem dixerim, niſi quis furiarum œſtro percitus ſit.

II. Sed enim eo jam oratio noſtra ſe referat unde digreſſa eſt. Neque enim in puniendo ſolum, ſed & in bene merendo majorem Deus poteſtatem Sacerdotibus largitus eſt, quam naturalibus noſtris parentibus: quos inter utroſque tantum eſt ſane interjectum intervallum, quantum vitam inter præſentem, & æternam. Parentes enim nos in præſentem, Sacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certe ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare: quum

(a) Numerorum cap. 16.

hi laborantem, ac morti jam jam propinquam animam identidem ſervarint, aliis remiſſiorem pœnam reddentes, alios prorſus labi non permittentes, non doctrinæ ſolum, atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio; neque enim ſolum quum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: *Infirmatur* (*a*) inquit, *inter vos aliquis, accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſalvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Jam vero naturales parentes, ſiquos eorum liberi principes, magnateſve offenderint, opem certe illis nullam afferre poſſunt, quum Sacerdotes, non Principes, non Reges, ſed ipſum Deum nobis infenſum ſæpenumero concilient.

III. Nos igitur ſuſtinebitne adhuc quiſquam faſtidii atque arrogantiæ reos agere? Equidem ex iis quæ a me dicta ſunt, auditorum mentes tanta puto religione occupatas, ut non jam eos qui fugiunt, ſed eos qui per ſe accedunt, honoremque iſtum ultro ſibi ambiunt, contumaciæ, temeritatis, atque audaciæ accuſent. Nam ſi uſuvenit, ut quibus civitatum principatus concreditus eſt, ii niſi valde prudentes pariter,

[*a*] Locus deſumptus ex Epiſtola 5. Jacobi cap. 5. Cujus quidem celebri teſtimonio paſſim Theologi probant extremam Unctionem eſſe verum novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ab ipſo autem Jacobo promulgatum. Porro paulo ſuperius docet Chryſoſtomus, Presbyteros, de quibus loquitur Jacobus, eſſe non laicos homines, ſed Sacerdotes, quibus tum in Baptiſmate, tum in infirmorum unctione competit facultas dimittendi peccata: *Neque enim*, ait, *ſolum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent*, &c. Quæ autem peccata per ipſam unctionem remittantur, conſulendi de ea quæſtione Theologi ſunt, inter quos Theologorum omnium princeps S. Thomas de Aquino, quintus Eccleſiæ Doctor,

ter, ac vigilantes fuerint, tum civitates ipſas evertant, tum ſe ipſos perditum eant: quanta illum virtute non ſua tantum unius, ſed & cæleſti præditum eſſe convenit, cui ſorte obtigit, ut Chriſti ſponſam colat, ornetque, ſi modo peccandi occaſionem vitare is velit?

CAP. VI.

Quum Paulus Apoſtolus cum timore & tremore Sacerdotium expaveat, quid alii facient ſanctitate, & vita Paulo tam diſſimiles I. Sacerdotii adminiſtrandi difficultas exemplis oſtenditur II. & III.

I. CHriſtum nemo eſt qui Paulo vehementius dilexerit: nemo qui apud Deum gratioſior quam Paulus fuerit: tamen poſt tot privilegia a Deo accepta veretur adhuc, ac tremit, principatus iſtius, ſubditorumque ſuorum gratia: *Metuo enim*, inquit, (*a*) *nequa fiat, ut quemadmodum ſerpens Evam decepit verſutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri a ſimplicitate, quæ erat in vobis erga Chriſtum*. Ac rurſus: (*b*) *In timore ac tremore multo vobiſcum verſatus ſum*. Atque hæc quidem dicit homo is, cui a Deo datum fuit, ut in tertium uſque Cælum raperetur, ac divinorum arcanorum particeps fieret, qui idem totidem, ut ſic dixerim, mortes pertulit, (*c*) quot Ipſe dies poſt fidem Chriſto datam vixit: qui item idem ne conceſſa quidem a Deo poteſtate utendum ſibi ubique judicavit, ut nequis eorum, qui fidem ſuam Chriſto obſtrinxiſſent, offenderetur. Si igitur Paulus Dei mandata ſic obſervans, ut majora etiam

[*a*] 2. Ad Corinthios cap. 11. [*b*] 1. Ad Corinthios cap. 2.

[*c*] Brevi ac egregio elogio Apoſtoli labores, ac merita recenſet in apologetico 1. S. Gregorius Nazianzenus. Multus in iis enarrandis eſt S. Cryſoſtomus tum commentariis in illius Epiſtolas, tum in Acta Apoſtolorum, tum alibi frequenter. Vide infra lib 4. ubi de eodem Apoſtolo nonnulla etiam recenſet.

Digitized by Google

etiam quam ipsi a Deo injuncta fuissent, præstaret, numquam suo ipsius sed subditorum tantum commodo studens, sic ubique formidavit, magistratus sui molem expendens: quid faciemus ipsi, qui multi ubique sumus in quærendis quæ nostra sunt? qui Christi mandata Pauli exemplo non solum non superamus, sed ea majori quidem ex parte transgredimur: *Quis infirmatur*, inquit ille, (*a*) *& ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror?* Ejuscemodi sane convenit Sacerdotem esse: quinimo non ejuscemodi tantum, parva enim sunt ista, ac certe nulla præ eo quod ipse sum dicturus: hoc autem quidnam esse potest? *Optarim*, inquit, (*b*) *anathema esse a Christo pro fratribus meis, pro cognatis meis secundum carnem*. Quod si quis existit, qui vocem hanc obsecrans enuntiare possit, is demum dignus quidem est, qui si oblatum Episcopi munus detrectet, insimuletur: sin a Pauli virtutibus illis pari nobiscum intervallo distat, is nimirum odium, ac vituperationem meretur, quum munus item delatum amplectitur, non quum detrectat.

II. Neque enim proposita militaris dignitatis electione, si ii quibus provincia ea demandata foret, fabro ærario, aut cerdoni, aut cuipiam id genus opificum in medium tracto, honorem hujusmodi ad illum deferrent, laudarent utique miseri, ac stolidi illius consilium, qui oblatum munus non statim detrectaret, nihilque non faceret, ut ne se ipse in præsens conjiceret periculum. Nam si id unum satis sit, pastorem simpliciter vocari, & provincia ista utcumque defungi, nec ullum prorsus inde periculum exoriri possit: equidem nihil moror, quin me, quisquis volet, inanis gloriæ studiosum appellet; sin vero rara

(*a*) 2. Ad Corinthios cap. 11. (*b*) Ad Romanos cap. 9.

Digitized by Google

rara prudentia, rara item a Deo Optimo data gratia, quæ prudentiam etiam ipsam præcedat, præterea si morum integritate, si vitæ puritate, denique si majori quam pro humano captu virtute præditum eum esse oportet, qui administrationis istius curam in se suscipit, ne me venia privatum per te velis, si frustra, ac temere vitæ mihi meæ exitium accersere noluerim.

III. Etenim si navem quis agens ampliſſimam, & quæ decem millia pondo ferat, quæque eadem remigibus suis sit instructa, ac sumptuosarum mercium pondere onerata, me illius gubernaculo præfectum juberet Ægeum, Tyrrhenumve mare trajicere, nimirum fieret, ut ad primam statim auditionem mandatum id detrectarem; ac me si quis interrogaret: Quid ita? Ne navim submergam, utique responderem. Itane igitur, ubi pecuniæ tantum jactura subest, nec nisi corporis interitus perclitatur, nemo est, qui incuset, reprehendatque, siquis magna cautione, providentiaque hic utatur; ubi autem navem frangentibus, non in hoc, vel illud pelagus, sed in ignis æterni abyssum corruendum est; ubi item eosdem naufragos interitus manet, non qui corpus ab anima dirimit, sed qui animam ipsam una cum corpore in sempiternum exigit supplicium: hic mihi vos succensebitis? hic mihi odium inimicitiasque præferetis, si me ipse temere in tantam non conjecerim perniciem? Ne, obsecro, atque obtestor, committere id velitis. Novi profecto animi hujus vires quam sint infirmæ atque exiguæ: novi, quanta sit functionis illius moles: novi, quam ingens negotii ipsius difficultas. Fluctus enim Episcopi animum concutientes, ventis mare identidem conturbantibus crebriores, infestioresque esse solent.

CAP.

CAP. VII.

Vana gloria, & alia vitiorum monſtra, in quæ facile impingunt Epiſcopi, ſeu Prælati I. Mulierum audacia & arrogantia contra Epiſcopos II.

I. AC primum quidem omnium occurrit peſtilentiſſimus inanis gloriæ ſcopulus, longe illo ſirenum (*a*) infeſtior, quem Poetæ prodigioſe effingunt. Illum enim ſi compluribus licuit ſalvis præternavigare, atque incolumibus effugere: mihi tamen ſic ita moleſtus eſt, ut ne nunc quidem, quum nulla me in voraginem illam impellit neceſſitas, facere poſſim, ut prorſus hac noxa vacem. Quod ſi mihi quis provinciam magiſtratus iſtius imponat, quid aliud, quam manibus his poſt tergum tantum non revinctis, belluis ſcopulum illum inſidentibus, in dies ſingulos lacerandum me tradat? Belluæ vero quænam tandem illæ? Animi tum citatio, tum remiſſio, invidentia, contentio, calumniæ, excandeſcentiæ in minime noxios, delectationes natæ ex miniſterio inepte atque indecenter ab aliis adminiſtrato, dolor, ſicui forte muneris ſui functio proſpere ceſſerit, laudum appetentia, honoris deſiderium; quod ipſum in primis hominis animum præcipitem ferri cogit: doctrina voluptatem, non etiam utilitatem captans, illiberales adulationes, palpationes

(*a*) Sirenes Poetæ tres fuiſſe fabulantur Acheloi fluminis, & Calliopes Nymphæ filias, quarum nomina fuerunt Parthenope, Ligia, & Leucoſia. Hæ cum litus Siculum incolerent, nautas præternavigantes ſuavitate cantus in naufragium pelliciebant. Ulyſſes autem, cum illac ſibi iter eſſet, ſociorum aures cera obturavit, ne inſidioſos Sirenum cantus poſſent exaudire: ſe ipſum vero malo navis juſſit alligari, atque ita periculum tutus evaſit. Sirenes itaque cum ſe contemni viderent, impatientia doloris ſe præcipitaverunt in mare. Sed hæ fabulæ Poetarum ſunt, qui multo plura de eiſdem narrant.

Digitized by Google

nes minime generosæ, pauperum despicientiæ, divitum cultus, honores nulla ratione impensi, gratiarum munerumque largitiones damnosæ, periculum parientes tam largientibus, quam accipientibus, timor servilis, ac nonnisi pessimis quibusque mancipiis conveniens: fiduciæ interitus, modestiæ animi species quidem multa, veritas autem nulla: coarguendi, atque increpandi procul rejecta facultas, seu ut vere dicam contra inopes increpatio modum nullum servans, at contra eos, qui potentia aliqua præditi sunt, ne diducere quidem labia quisquam audet. Has enim omnes, atque his longe etiam plures feras noxius scopulus ille nutrit; a quibus quidem homines semel captos in tantam profecto servitutem distrahi necesse est, ut sæpe etiam pleraque dum mulieribus placere, atque obsecundare student, necessario committant, quæ ne eloqui quidem honestum.

II. Eas quidem divina lex (*a*) ab hoc ministerio remotas esse voluit: illæ vero vi facta intro irrumpunt: quæ quandoquidem per se nihil ipsæ possunt, per alios omnia factitant, ac tantam sibi vendicant potestatem, ut quoscumque illæ Episcopos velint, & adlegent (*b*) & summoveant. Fitque tandem per eas, ut quod est in veteri proverbio, sursum, ac deorsum

(*a*) Innuit hic Chrysostomus quod scribit Apostolus in Epistola 1. ad Corinthios cap. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit.* Nempe postquam peccavit Eva, dixit ei inter alia Deus cap. 3. Geneseos: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

(*b*) Innumera pene de ea re occurrunt exempla in Ecclesiastica historia. Notum est quod de Theodora Justiniani Imperatoris uxore legitur, quæ expulso legitimo Papa S. Silverio, curavit intrudi Vigilium: qui tamen pœnitentia ductus, post S. Silverii obitum libera Cleri electione iterum Pontifex renunciatus fuit, de quo vide Baronium.

Digitized by Google

ſum ſe ſe habeant res, ac principes ſuos ſubditi ipſi regant. Atque utinam id tantum viri factitarent, non etiam eæ, quibus ne docere quidem permiſſum eſt. Sed quid dico, docere? certe ne in Eccleſia quidem fari illis beatus Paulus (*a*) permiſit. At memini ſane ex quodam me audire, quod & tantam ipſis impertiſſet libertatem, ut & Eccleſiarum præſides objurgarent, illoſque acerbius inceſſerent, quam ſervi a dominis ſuis inceſſantur.

CAP. VIII.

Non ipſum Sacerdotium memoratorum malorum cauſa eſt, neque res ipſa, ſed abuſus in vitio eſt I. Ex Epiſcoporum electionibus temere factis natæ in Eccleſia turbæ II.

I. CEterum nolim, ut quiſquam exiſtimet, Epiſcopos omnes a me criminum eorum, quæ dixi, reos factos: ſunt enim, ſunt, inquam, permulti, qui ſe ſe ab iis retibus probe extricarunt; atque adeo plures iis, qui ſe capi, atque intra ea involvi paſſi ſunt: neque tamen ob id Sacerdotalem ipſam dignitatem malorum iſtorum authorem fecerim. Abſit enim tanta a me inſania; neque enim ferrum, cædis; neque vinum, ebrietatis; neque robur, contumeliæ; neque fortitudinem, inconſideratæ audaciæ, ſed eos potius, qui, præterquam deceat, donis a Deo datis abutuntur, quiſquis ſanæ mentis fuerit, authores eſſe dicet, punietque: quandoquidem & Sacerdotium merito nobiſcum expoſtulare poſſit, ſi ipſum non rite atque ordine pertractemus, adminiſtremuſque: neque enim illi accepta ferre debemus mala ea, quæ dixi, ſed nobis potius,

(*a*) Vide Epiſtolam 1. ad Corinthios 14.

tius, qui illud idem, quantum in nobis fuit, conſpurcavimus, atque coinquinavimus, hominibus quibuſlibet illius adminiſtrationem in manum tradentes: qui quidem neque viribus ſuis ipſorum prius conſultis, neque conſiderata rei magnitudine, obviis ſtatim ulnis munus oblatum amplectuntur: quum autem eo ventum eſt, ut negotiorum functioni manus admoveant, nimirum inſcitiæ caligine occupati, calamitatibus infinitis populos fidei ſuæ concreditos (*d*) replent.

II. Hoc ipſum, hoc ipſum certe eſt, quod noſtra ætate propemodum accidiſſe videmus, niſi nos repente Deus e periculis illis aſſeruiſſet, partim ſuæ Eccleſiæ, partim animarum noſtrarum ſaluti culpam eam condonans. Alioqui undenam, quæſo, exiſtimas tam multas in Eccleſiis turbas naſci? Equidem non aliunde opinor, quam ex Epiſcoporum, Antiſtitumque Electionibus caſu potius, ac temere, quam diligenter, atque accurate factis. Nam caput valentiſſimum quidem eſſe oportet, ut pravas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte ſurſum aſcendentes diſpenſare, eaſdemque rite, atque ordine componere poſſit. Quum enim per ſe caput infirmum eſt, ac fumorum inſultus illos morbicos repellere minime potens, tum fit, ut ipſum etiam infirmius in dies reddatur, tum autem reliquum corpus ſecum perdat. Id quod ut ne in preſentia accideret, voluit Deus, ut nos in loco, & numero pedeſtri, quem ſors noſtra, initio tulerat, permaneremus.

CAP.

(*d*) Dolet & de eo Nazianzenus oratione ſua in laudem Athanaſii, quod ſuo ævo multi, qui nihil prius ad Sacerdotium attulerant, nullos labores, atque ærumnas virtutis cauſa pertulerant: diſcipuli ſimul magiſtrique pietatis deſignarentur. *Heri*, inquit, *ſacrilegi, hodie Sacerdotes; heri extra Sancta, hodie Sanctorum arbitri, & antiſtites, veteres vitio; pietate rudes, & recentes .... qui cum cetera omnia violenter pervaſerint, ad extremum ipſam quoque pietatem tyrannide premunt.*

Digitized by Google

CAP. IX.

Cupiditas dignitatis & principatus ab animo Sacerdotis eliminanda I. Qua religione accedendum ad Episcopatum, & ut intelliguntur verba illa Apostoli in prima ad Timotheum cap. 3. Qui Episcopatum &c. *II. Animi fortitudo in Episcopo requiritur, illorumque servitus misera, qui timent honoris jacturam III. Qui pro Dei honore parati sunt cedere honori suo, maximo digni præmio IV. Chrysostomi humilitas, & cur Episcopatum fugerit, binæ causæ ab ipso explicatæ V. & VI.*

1. MUlta enim alia sunt, Basili, præter ea quæ jam a nobis dicta sunt, quæ Sacerdotem præstare oportet, ac quæ certe in nobis non agnoscimus. Inter quæ illud præcipuum: Sacerdotis animum honoris illius desiderio undique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotentiorem sane ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato serviet, (*a*) sive adulandum, sive servile quid, atque indignum sustinendum, sive res magno pecuniæ sumptu tentanda. Nam quod nonnulli cædibus Ecclesias compleverint, contaminarintque, tum ejus honoris gratia depugnantes, civitates aliquot funditus everterint,

[*a*] Scitissime S. Ambrosius lib. 4. in Lucam, gloriæ & dignitatum cupidine edomari ait plerumque vel invictos ceterorum vitiorum omnium domitores: *Hoc ipso perniciosor est ambitio, quod blanda quædam conciliatricula dignitatum; & sæpe quos nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum; & ut dominetur aliis, prius servit: curvatur obsequio, ut honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit remissior.*

terint, dicere hic prætermitto, ne quibusdam videar ea in medium afferre, quæ fide majora sint.

II. Oportere autem puto, tanta cum religione, ac cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem magnitudinemque primum prorsus (a) detrectes: deinde adepto honore, aliorum judicia, sententiasque non expectes, si quid forte commissum deprehendatur, propter quod oporteat, te honorem illum deponere, quin potius illas præveniens, te ipse munere abdices. Sic enim par est, ut divinam concilies impetresque misericordiam: qui si tibi honorem illum præter decorum tamquam mordicus retinere studueris, indignus es qui veniam consequaris: tum vero divinam iram magis, ac magis incendis, altero peccato & eo graviore per te addito. At vero constantiam hanc præstare nullus valeat; tam pestilens, tamque læthale est appetentiæ istius virus, neque id dico cum beato Paulo pugnare volens, quinimo ut maxime cum illius verbis consentiam. Ea vero hujusmodi sunt: (b) *Siquis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat*. At ego non operis ipsius, sed dominationis, ac potentiæ desiderium pestilens esse dixi.

III. Atque hoc ego desiderium sic toto studio ab animo abjiciendum esse censeo, ut ne animum quidem ipsum prorsus permittas ab illo occupari, ut is rerum omnium libere agendarum potestatem habeat. Nam quem nulla cupiditas trahit, ut se se in eo munere collocatum ostentet, ac tamquam digito ab aliis monstretur, is certe ab eo solio deturbari non formidat. Porro autem qui id non formidat, hic cum ea

E liber-

(a) Frequentissimum fuit jam olim in Ecclesia, quinimo & a Patribus optatissimum, ut Episcopatus gradus omnino fugiretur, & nonnisi quis invitus ordinaretur. Vide Thomassinum Tomo 2. Disciplinæ, lib. 2. cap. 65.

(b) 1. Ad Timotheum 3.

Digitized by Google

libertate, quæ christianas mentes decet, omnia exequi potuerit: dura enim & acerba, atque adeo multis referta incommodis illorum est servitus, qui honoris hujusmodi casum reformidant: ob quem sæpenumero fit, ut & hominum, & Dei optimi offensionem subire cogantur: decet autem affectus nostros tales non esse. Sed quemadmodum in præliis videmus generosissimos quosque milites alacriter manum cum hoste conserere, tum, si ita res ferat, fortiter occumbere; ita oportere puto, animatos esse, qui ad ministerii istius functionem se conferunt, ut, quod vere Christianos viros decet, & fungi Sacerdotio, & submoveri juxta parati sint; quum intelligant submotionem, privationemque hujusmodi non inferius præmium afferre solere, quam honor ipse afferat.

IV. Nam quoties tale aliquid cuipiam evenerit, ea ferre nolenti, quæ indecora, ac muneris sui dignitati minime convenientia putat, fit ut & illis qui ipsum injuste submoverint, gravius supplicium, & sibi copiosiorem mercedem paret: *Beati*, enim inquit, (a) *estis, quum probra jecerint in vos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum verbum adversus vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in Cœlis.* Et hæc certe ipsa tanto magis locum habent, quoties a sociis, ac convictoribus, aut per invidiam, aut dum aliis placere illi student, aut per simultatem, atque inimicitias, aut non recto alio quopiam consilio, injuste quis loco suo depellitur. Nam quoties id te ab adversariis pati contigerit, ne oratione quidem opus esse puto ad lucrum id demonstrandum, quod illi malitia sua tibi acquirunt. Illud itaque oportet, undique circumspicere, ac diligenter perscrutari, necubi desiderii

[a] Matthæi cap. 5.

Digitized by Google

derii illius ſcintilla aliqua ardens lateat. Præclare enim actum fuerit vel cum eis, qui jam inde ab initio ab hoc morbo liberos ſeſe eſſe ſtudent, ſi ad honorem iſtum quum pervenerint, tum demum effugere morbum eum poſſint: quod ſiquis exiſtet, qui honore illo nondum adepto atrocem hanc, atque efferam belluam ſecum enutriat, verbis aſſequi non poſſit, in quantam perniciem accepto honore præceps iturus ſit.

V. Nos autem, ac ne me rerum noſtrarum elevandarum ſtudio hic apud te falſa loqui velle putes, cupiditatis, deſideriique iſtius morbo vehementer laboramus: quæ res una cum aliis omnibus non parum nos exterruit, atque in fugam hanc vertit. Nam quemadmodum qui corporum amore capti ſunt, ii donec propinquos eos habent, quos amant, gravius quidem morbi ſui tormentum, vimque ſuſtinent: quum autem quamlongiſſime ſe ſe ab illorum conſpectu abduxerint, tum furorem ipſum ab animo excutiunt; ſic & qui honoris iſtius quem dico, cupiditate titillantur, dum propius adſunt, malo ferendo impares ſunt: quum autem ſe ſe illinc ſubmoverint, honoremque deſperaverint, fit ut deſiderium una cum expectatione extinguant. Porro una hæc cauſa non mediocris eſt, quæ ut ſola exiſtat, tamen idonea fuerit, quæ nos a munere iſto arceat.

VI. Verum & alia quædam ſubeſt hac ipſa nequaquam inferior. Quænam tandem ea eſt? Sobrium (a) modeſtumque Epiſcopum eſſe oportet; eundemque perſpicacem, atque innumeros quoquoverſus oculos circumferre: quippe qui non ſibi uni tantum, ſed &

E 2 tam

[a] Alludit ad illud Apoſtoli in Epiſtola 1. ad Timotheum 3. & in Epiſtola ad Titum cap. 1. ubi ait, oportere Epiſcopum eſſe modeſtum, ſobrium, aliiſque virtutibus ornatum, quas in utraque Epiſtola recenſet.

Digitized by Google

tam multis vivat populis. Ceterum quod nos segnes simus, ac remissi, ac vix nostræ ipsorum saluti sufficientes, vel tute fateare, qui amoris abundantia quadam, vitia, si qua in nobis sunt, dissimulare studes. Absit enim, ut mihi jactes vel jejunia, vel noctes insomnes, vel corpus humi decubare assuetum, vel siqua alia est corporis indurati afflictio. Nam si tibi satis innotuit, quantum ab his virtutibus absimus, quas ut nos etiam exacte, atque absolute præstiterimus, ne sic quidem possent cum hujus animi segnitie conjunctæ nobis ad præfecturæ illius, quam dico administrationem obeundam, præsidii quicquam afferre. Homini enim in cubiculum aliquod incluso tum de suis tantum rebus solicito magnum res eæ adjumentum afferre possunt. Ei vero, qui in tot populos sciissus est, curas, solicitudinesque suas in subditos suos singulos partiens, non video quid idonei adjumenti ad illorum profectum conferre queant, nisi idem acrem fortissimumque animum nactus sit.

CAP. X.

Animi fortitudo in Episcopo requisita I. Iracundiæ malum quantum, & quot malorum causa II. Mores Principum subditi imitantur III.

I. NEque sane mirum tibi esse debet, si una cum tanta tolerantia, alia quadam fortitudine Episcopi animum spectatum esse volo. Nam cibum, potum, stratum item molle contemnere, multis nec labori quidem id esse videmus, iis præsertim, qui natura agrestiores per ætatis vigorem ita sunt educati: ac multis item aliis, alias corporis habitudine, alias ipsa etiam assuetudine laborum illorum asperitatem molliente mitiganteque. At contumeliam, vim,

vim, incommodum, moleſtum aliquod verbum, tum vero ſcommata ab inferioribus nonnumquam leviter, atque impræmeditate, nonnumquam etiam reddendo jure contorta, præterea & querelas temere, ac nulla cauſa tum a Principibus, tum a ſubditis natas, non multorum eſt ferre poſſe, ſed unius tantum, & alterius. Ac videre ſane eſt eos, qui animi virtutibus illis plurimum poſſunt, ad hæc ipſa tanta veluti animi vertigine laborare, ut vel immaniſſimis belluis gravius exaſperentur. Hujuſmodi autem ingenio præditi homines ab Epiſcopatus cancellis, a Sacerdotii clauſtris procul arcendi ſunt. Nam Epiſcopum inedia minime cruciari, extenuarive, tum eumdem nudis pedibus non ingredi, id certe nihil incommodabit Eccleſiæ univerſitati: at vero agreſtioris animi ferocitas, furorque, tum domino, poſſeſſorique ſuo, tum etiam proximo ingentium calamitatum author ſæpe fuit.

II. Atque iis quidem, qui virtutes illas non præſtant, nulla a Deo comminatio: at temere excandeſcentibus gehennam, ac gehennæ flammam æternam Deus (*a*) comminatus eſt. Ac quemadmodum fit, ut qui inanis gloriæ titillatione movetur, ſi quando populi principatum obtineat, materiam igni ſuccenſo ſuppeditat; ſic qui ſolitudini aſſuetus, ne in paucorum quidem hominum conſuetudine, animi ſui iræ imperare non poteſt, quinimo perfacile ab ea tranſverſus agitur: huic ſi popularem magiſtratum credas, inſtat feræ alicujus a multis undique extimulatæ, neque quieto unquam animo eſſe queat, & commiſſos ſibi populos in infinita mala, atque incommoda diſtrahat. Nihil enim ſic ingenii perſpicuitatem, nihil ſic mentis aciem hebetat, ut ira nullum ordinem

(*a*) Extat hæc Chriſti comminatio in Evangel. Matthæi cap. 5.

ſervans, ab animi impotentis impetu nata: *Ira enim*, inquit ille, (a) *& prudentes perdit*: quaſi enim in nocturna pugna aliqua obtenebratus animi oculus, non internoſcit amicos ab adverſariis, neque ignobiles a claris, ſed omnes ſimul uno loco habet: & ſi jactura etiam aliqua, calamitaſque ſubeunda ſit, omnia perfert, ut animi voluptatem impleat, ſatietque. Eſt enim etiam quædam voluptas, iræ excandeſcentia, cujus tyrannis humanum animum ubi poſſedit, voluptatis tyrannide crudelior, truculentiorque eſt, univerſum illius ſtatum ſurſum, ac deorſum conturbans, incolumitatemque excarnificans; nam & arrogantiam faſtumque facile impellit, & ſimultates intempeſtivas, & odium nulla ratione ſubortum, & offenſiones leviter, ac temere natas aſſidue parat; & multa id genus alia tum dicere, tum facere cogit: cum animus interim clam vehementi morbi illius flatu raptus non habeat, ubi ſuam vim firmans, tanto impetui reſiſtat.

III. Tum BASILIUS: Ego vero te, inquit, non amplius diſſimulantem hic patiar: quis enim neſcit, quantum ab hoc morbo ſis alienus?

CHRYSOSTOMUS: Cur me igitur, inquam, o bone, vis flammæ, atque incendio admotum eſſe? cur belluam quieſcentem irritare pergis? ignoras id nobis non noſtra virtute ſucceſſiſſe, ſed potius ex ſolitariæ, ac quietæ tantum vitæ cultu, ac ſtudio? cum eo autem, qui ad animi morbum hujuſmodi propenſior ſit, præclare ſane actum fuerit, ſi ſolitariam vitam ſequutus, uniuſque, & alterius amici uſu delectatus, poſſit excandeſcentiæ incendium illud devitare: ut ne dicam cogi illū in tam multarū curarum altiſſimum pelagus præcipitem ruere. Tum enim non ſe ſolum, ſed & alios complures ſecum ad interitus præcipitiū pertrahit reddit-

(a) Proverbiorum cap. 15. verſu 1.

redditque minus animatos ad humanitatis, facilitatisque ſtudia excolenda: quando ſic natura comparatum eſſe videmus, ut ſubditorum multitudo magna quidem ex parte Principum ſuorum mores tamquam exemplarem quandam imaginem ſpectent, ſeque ad illos formare (*a*) ſtudeant. Quî ergo fieri poſſit, ut illorum tumores, & inflammationes ſedet is, qui ipſe tumeſcat? Quis vero plebeus vir concupiſcat ſtatim temperans moderatuſque fieri, Principem intuitus iracundum?

CAP. XI.

Epiſcoporum, & Prælatorum vitia facile manant in vulgus I. Quid interſit inter delicta vulgarium hominum, & Magnatum II. Quam caute, ac vigilanter ſe gerere debet Epiſcopus, ne pateat injuriis, inſidiis, calumniiſque III. Facili occaſione improbi in Sacerdotem inſurgunt IV. Quæ in homine ſunt, nullus novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt V. Aliorum ambitio quantum periculi pariat Epiſcopis VI.

I. NEque enim poſſunt Epiſcoporum vitia diſſimulari, ſed vel parva, atque exigua confeſtim manifeſta fiunt. Quando & athleta tantiſper dum domi ſe continet, cum nemine manus conferens, imbecil-

(*a*) Huc ſpectat quod ait S. Baſilius in Iſaiam cap. 1. *Ut plurimum ſubjectus populus ſe ſolet conformare eorum moribus, qui potentia prævalent*: Et quod etiam Claudianus de quarto Honorii Auguſti conſulatu ſcribens, verſibus hiſce expreſſit.

. . . . . Componitur orbis.
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus.
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Cujus moris cauſam reddit Quintilianus in declamatione 4. ſic dicens: *Quoniam hæc conditio Principum eſt, ut quicquid faciant, præcipere videantur.*

Digitized by Google

becillitatem, infirmitatemque suam occultare aliis potest: ubi vero nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tum facile apparet, quid ille possit. Eadem ratione, qui privatam hanc, & quietam vitam vivunt homines, solitudinem habent suorum vitiorum tamquam velamen quoddam; iidem rursus quum in medium prodierint, solitudinem illam sicut vestem exuere, & per externos, adventitiosque motus, suos animos omnibus nudos exhibere coguntur. Quemadmodum ergo illorum officia, rectique mores multis usui sunt, accenduntque ad studii æmulationem ejusdem: ita & vitia ad virtutis cultum segniores reddunt, præstantque, ut ceterorum animi ad bonorum operum labores capessendos torpescant: quamobrem Sacerdotis (*a*) animi pulchritudinem undique splendescere oportet, ut oblectare pariter, & illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos coniiciunt.

II. Nam vulgarium hominum delicta veluti in tenebris commissa auctores suos solos perdunt. Ceterum hominis illustris, & vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert; tum eos, qui ad virtutis capessendæ sudores remissi sunt, supiniores etiamnum reddens: tum eos, qui sibi ipsis attendere, ac virtuti acquirendæ advigilare, volunt, ad superbiam exstimulans. Præterea ignobilium delicta, si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant; at qui istius dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non noti, manifestique sunt: tum vero, si vel tantillum peccaverint, parva eorum peccata aliis magna videntur;

(*a*) *Nihil est*, inquit Concilium Tridentinum sessione 22. de reformatione cap. 1. *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur.*

Digitized by Google

tur; neque enim peccati magnitudine ſed peccantis (*a*) potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur.

III. Ac certe Epiſcopum convenit, & ſtudio acri, & perpetua vitæ continentia tamquam adamantinis armis circumſeptum, quoquoverſus circumſpicere, necubi nudo quis aut neglecto loco deprehenſo læthale vulnus adferat. Circumſiſtunt enim ceteri parati, ut vulnerent, ac, ſi liceat, ſupplantent: neque ii ex hoſtium, atque adverſariorum numero, ſed ex iis, qui ſe amicos eſſe adſimulant. Epiſcoporum ergo animi tales eligantur, qualia olim in Babylonia fornace Sanctorum illorum corpora divinæ gratiæ largitas exhibuit. Neque enim ignis ejus, qui Epiſcoporum animos depaſcit, alimenta ſunt, ſarmentum, pix, ſtupa; ſed alia quædam his longe infeſtiora: quando ne ignis quidem ſenſibile illud elementum hic ſubſternitur, ſed pro igne Epiſcopum circumlambit voraciſſima invidiæ flamma, undique ſe attollens, atque adeo vitam illius, ac mores altius ſubiens, ſcrutans, probans, quam ignis ille Babylonius puerorum illorum corpora probaverit. Quoties igitur repererit vel tenue aliquod ſtipulæ veſtigium, celeriter admota partem illam debilem, ac vitiatam exurit: tum vero reliquam ſtructuram, ut ea ſolaribus radiis radiantior lucidiorque fuerit, fumo illo involvit, totamque denigrat. Quandiu enim Sacerdotis vita pulchre partibus ex omnibus congruens, concinnataque fuerit, nullæ illi adverſariorum inſidiæ nocere poſſunt: qui ſimulatque vel tantillum officii recti prætermiſerit, ut neceſſe eſt nonnumquam prætermittere eum, qui homo quidem ipſe ſit, quique humanæ vitæ plenum erroribus pelagus

(*a*) Celebre eſt quod ſcribit in hac re Juvenalis ſua ſatyra 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

gus trajiciat, jam illum nihil anteactæ vitæ honestas adjuvat ad incusantium voculas effugiendas: quinimo leve illud commissum reliquæ illius vitæ luminibus officit: ac certe sic Sacerdoti omnes judices esse volunt, ut carne nequaquam composito, ut humanam naturam non sortito, verum ut Angelo, ut humanæ infirmitatis minime participi.

IV. Porro quemadmodum tyrannum, donec imperio potitur, reformidant, eique adulantur omnes, non ob aliud, nisi quod illum tyrannide deturbare non possunt: cum autem illi res in contrarium cedere viderint, hic relicto honore illo simulato, qui haud ita pridem amici erant, fiunt derepente adversarii, atque hostes: ac vitiatas infirmasque in illo partes rimati, per quas videlicet illum facilius adoriantur, impressione facta, imperio depellere conantur: sic & in Sacerdotibus usuvenit. Nam qui Sacerdotem paulo ante ac dum munere potiretur, reverebantur, colebantque, ii occasionem nacti perexiguam, magno se studio accingunt, ut illum infestius etiam quam tyrannum imperio depellant: atque, ut tyrannus corporis sui custodes timet, sic Sacerdos eos, quos sibi propinquos, collegasque habet, maxime omnium reformidat: nulli enim alii perinde illius magistratum affectant, ejusdemque res omnes notas habent, (a) atque

(a) Certum est illud Christi oraculum in Evangelio Matthæi cap. 10. *Inimici hominis domestici ejus*. Quod ut aliquo exemplo exponam, Maximus ille Alexandrinus ex Philosopho Cynico Christianus, qui se jactabat Martyrum filium, & pro fide exulem in Oasis solitudine; quasi gloria confessionis illustris Constantinopolim veniens, a Gregorio Nazianzeno domi suæ exceptus est, & luculenta oratione laudatus, quæ mutato titulo, in laudem Heronis scripta legitur: cum tamen is dolose venisset, ut exturbato Gregorio ipse Cathedram Constantinopolitanam arriperet. Rem fuse narrat Baronius ad annum Christi 379. Similia exempla in historia Ecclesiastica passim invenies.

Digitized by Google

atque illi: propinqui enim, ac familiares quum sint, siquid tale acciderit, continuo ante omnes præsentiscunt: ac facile illis etiam calumniantibus fides adhibetur; possuntque illi haud ita magno negotio calumniis suis circumventum Episcopum capere, illius errata quantumlibet levia aggravantes. Qua in parte Apostolicum illud dictum immutatum est: (a) *Sive patitur unum membrum, simul gaudent omnia membra; seu glorificatur unum membrum, simul patiuntur omnia membra*: nisi forte ingentem quandam pietatem, ac religionem præstiterit, quam adversus illa omnia opponere queat.

V. In tantum igitur bellum nos emittis? & adversus pugnam tam variam, tamque multiformem, animum nostrum sufficere posse existimas? Undenam, quæso, & a quo edoctus es? Nam si cælitus id tibi innotuit, oraculum ipsum mihi indica, & tibi jam assentior, sed id non potes, verum ex hominum opinione de hac re pronuntias, ut ab isto tandem errore animum liberes. In iis enim, quæ ad nos spectant, par est, ut nostrum potius, quam aliorum sequaris judicium: (b) *Quæ enim in homine sunt, nullus novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est*. Nam quod tum nos ipsos, tum eos, a quibus electi sumus, ridiculos feciſſemus, illo per nos munere suscepto; ac magno item cum nostro dispendio ad vitæ conditionem hanc, quam hodie quoque tuemur, revertissemus, si minus ante hac, nunc certe per hæc me verba persuasisse puto.

VI. Neque enim invidia solum, sed & quæ invidia longe infestior est, principatus hujus affectatio, con-

(a) Apostoli effatum in Epistola 1. ad Corinthios cap. 12. ita legitur: *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

(b) Est & hoc Apostoli dictum in Epist. 1. ad Corinthios cap. 2.

Digitized by Google

complures armare ſolet adverſus eum, qui principatum ipſum occupat. At quemadmodum, qui principatum affectant filii, moleſto animo intuentur longam patrum ſuorum ſenectutem, ſic ex his nonnulli quum viderint conſtitutum, ut Sacerdos ad longum aliquod tempus dignitatis ſuæ munere fungatur, quandoquidem interficere nefas, deturbare illum imperio accelerant, omnes in deturbati locum ſuffici cupientes, ac ſinguli honorem illum ad ſe deferri expectantes.

CAP. XII.

Diſcordiæ in electione Eccleſiaſticarum dignitatum perſtringuntur, & quid Epiſcopum eligentibus ſpectandum I. Prudentia magna in Epiſcopo requiſita, & non ſemper qui bonus Religioſus, pariter bonus Epiſcopus II. Ætas in eligendo Epiſcopo minime ſpectanda III. Electio improborum ad Epiſcopatus perſtringitur IV. Malæ electiones in ſeculi dignitatibus tolerabiles, non vero in ſacris V. Dei benignitas ſumma, qua tamen pravi homines abutuntur VI. Varii variorum affectus in repudiandis Epiſcopis VII. Quidnam faciendum Epiſcopo in æmulorum conflictu conſtituto VIII. & IX.

I. VIS & aliud tibi pugnæ hujus genus aperiam periculis mille plenum? Ito hinc jam, ac publica feſta ſpectato, ea dico, in quibus dignatum Eccleſiarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Epiſcopum, quanta (*a*) eſt

[*a*] Recte admodum cautum fuit a Patribus Concilii Laodiceni can. 13. *Quod non ſit permittendum turbis electiones eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium provehendi.* Ad evitanda ſcilicet incommoda, quæ hic narrat Chryſoſtomus, quæque Scriptores Eccleſiaſtici paſſim recenſent. Certe tametſi hæc diſciplina diu in Eccleſia viguerit, a principio tamen non fuit ſic: conſtat enim ex cap. 14. Actuum Apoſtolorum, & ex Pauli Epiſtola ad Titum cap. 1. Sacerdotes, & Epiſcopos initio quidem ab Apoſtolis, non a multitudine fuiſſe conſtitutos.

Digitized by Google

eſt tota illa ſubditorum multitudo, quibus eligendi poteſtas conceſſa eſt. Hos omnes tum in multas factiones ſcindi, neque inter ſe conſentire, neque cum eo, cui forte Epiſcopatus delatus ſit, Presbyterorum congregationem convenire videas; ſed unuſquiſque a ſuorum unius partibus ſtat, alius hunc, alius illum eligens: cujus rei cauſa hæc eſt, quod id unum non ſpectant, quod ſolum ſpectandum fuerat, nempe animi virtutem ſed aliæ ſunt cauſæ, quibus honores conciliantur. Verbi gratia, hic, quod claro genere natus ſit, (*a*) in Epiſcopatus, inquit, ordinem cooptetur. Ille, quod opibus abundet, neque indigeat (*b*) alimentis ex Eccleſiæ proventibus quæſitis: alius, quod ab adverſariis ad nos transfugerit: alius ſibi genere propinquum, ac neceſſarium: alius adulatorem ceteris ante-

(*a*) Sunt qui honores Eccleſiaſticos ambientes, nobilitatem generis jactant; Verum narrat Gloſſa Canonici juris in Can. *Quoniam*. 24. q. 1. *quod cum duo certarent de electione, & unus allegaret ignobilitatem alterius, alius ex diverſo reſpondit*: Piſcatori Petro fabri filio ſucceſſorem quærimus, non Auguſto.

(*b*) Bona profecto obſervatio, modo aliæ virtutes in eligendo Epiſcopo non deſint. Sunt enim ejus opinionis plerique, inter quos Eſtius in Epiſtolam 1. ad Timotheum cap. 5. Clericum patrimonio divitem illicite Eccleſiæ proventibus vivere. Cui ſententiæ favet in ipſa Epiſtola Apoſtolus nolens viduam, quæ divites habebat propinquos, ab Eccleſia ſuſtentandam; ne ſcilicet Eccleſia gravaretur. Favet præterea Concilium Aquiſgranenſe habitum anno 816. can. 107. ita inquiens: *Nec illi, qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo; unde pauper victurus erat, accipiunt. De clericis quidem Spiritus Sanctus dicit*: Peccata populi mei comedunt: *Sed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita poſſeſſores non alimenta, quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt*. Plura eam in rem habet citatus Canon, qui etiam hanc præfefert Rubricam: *Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia, quæ pauperes paſcit, accipiunt illi, quibus de ſuo ſufficit*.

Digitized by Google

anteponere mavult; nemo est qui eum, qui idoneus sit, spectare velit, aut animi partes explorare curet.

II. Ego vero tantum absum, ut causas hujusmodi ad probandos Sacerdotes idoneas esse putem, ut si quis etiam magnam perpetua vita religionem, pietatemque præstiterit, quæ ipsa tamen non parvum ad id adfert præsidium, ne hunc quidem hujus nomine adlegere statim audeam, nisi magnam etiam animi (*a*) prudentiam cum religione hujusmodi conjunctam habeat. Nam multos ipse novi ex iis, qui sese perpetua continentia cohibuissent, ac quorum corpora jejuniis multis exhausta essent, donec solitariam vitam agere, ac suas dumtaxat res curare licebat, Deo maxime acceptos fuisse, eosdemque in dies singulos cœptæ illi philosophiæ auctuarium non parvum adjeciisse: qui iidem postea quam in hominum lucem venerunt, vulgi inscitiam emendare coacti, alii jam a principio tanto muneri administrando impares fuere, alii in eo ipso munere perseverare dum cogerentur, pristina vitæ cura, atque austeritate procul excussa, tum sibi detrimento maximo, tum alii nulli prorsus usui fuere.

III. Neque vero si quis vitæ tempus perpetuum in extrema sacrarum functionum classe persistens consumpserit, ac sic demum ad ultimam usque ætatem pervenerit, hunc protinus propter ætatis reverentiam ad summum honorem perducemus. Quid enim si vel ea ætate cum sit, tamen minus idoneus adhuc reperiatur? Quod tamen sic a me dictum non est, quasi velim canitiem vituperare, vel statuere lata hic per

(*a*) Prudentiam in Episcopo requiri, constat ex antiquo severo scrutinio quod fieri solitum erat die præcedenti consecrationem Episcopi. Vide nostrum Romanum Pontificale Tomo 3. in Commentario ad §. 2. Tituli 28.

Digitized by Google

per me lege, eos, qui e Monachorum ſodalitiis prodiere, ab hujuſmodi præfectura arcendos prorſus eſſe: contigit enim aliquoties, ut ex eo grege conplures (*a*) ad id muneris pertracti, vitæ candore inprimis eluceſcerent. Verum illud eo nomine dixi, ut oſtendam, ſi neque Religio per ſe ipſa, neque ſenectus longæva ſatis eſſe poſſunt, ut eum, qui Epiſcopatum obtinuerit, munere illo dignum efficiant: certe vix hoc ipſum cauſas eas, quas paulo ante commemoravi, efficere poſſe: quibus cauſis nonnulli etiam abſurdiores alias adjungunt.

IV. Etenim alii quosdam, ut ne adverſariorum partes ſequantur, in cleri ordinem recenſent: alii propter malitiam, ne contempti ſcilicet luculentorum malorum poſtmodum authores fiant. Poteſt ne quicquam hoc ipſo iniquius eſſe? quum videlicet homines perverſos, malis flagitiiſque omnibus abundantes, propter hæc coli ab aliis videmus, ob quæ puniri ipſi deberent, eosdemque quarum rerum nomine ne Eccleſiæ quidem limen introire oporteret, vel ad Sacerdotalem dignitatem aſcendere. Etiamne, obſecro, quæremus divinæ in nos iræ cauſas, quum nos myſteria, tam ſancta, tamque horrenda, hominibus partim (*b*) flagitio-

(*a*) Tametſi, ut ait S. Auguſtinus in Epiſtola 70. *aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat*: conſtat nihilominus apud ſcriptores Eccleſiaſticos, vel quarto & quinto Seculo, tum in Eccleſia Latina, tum Græca innumeros ex Monachis prodiiſſe Epiſcopos Eccleſiæ utiliſſimos.

(*b*) Quarto Chriſti ſeculo tametſi vatii Epiſcopi florerent doctrina ac ſanctitate conſpicui, tradit tamen Nazianzenus Oratione in laudem Baſilii, indigniores paſſim tunc temporis ad Sacerdotia promoveri conſueviſſe: *Nunc autem periculum eſt, ne ordo in toto Chriſtianiſmo ſanctiſſimus, in toto Chriſtianiſmo maxime ſit ridiculus. Non enim virtute magis, quam malitia, & fraude Sacerdotii dignitas paratur; nec meliores ac digniores, ſed potentiores thronis inſident.*

tos ſolum adlegunt, ſed & idoneos ejiciunt. Nam quaſi conveniret utrimque Eccleſiæ firmitudinem labefactare, ac cauſa illa prior non ſufficeret ad divinam iram accendendam, ita illi alteram nihilo deteriorem conjunxerunt. Etenim juxta ego peſtilens eſſe reor, utiles arcere, & inutiles intromittere: id quod ab illis certe fit, ut chriſtianum ovile nulla ex parte, aut conſolationem invenire, aut reſpirare valeat. Hæc igitur nonne millies Dei fulmen merentur? nonne digna ſunt, quæ gehennæ, non illius, quam nobis ſacræ litteræ comminantur, ſed longe etiam gravioris igne plectantur? verumtamen mala hujuſmodi ſuſtinet, patiturque, qui peccatoris mortem non vult, ſed ut convertatur ipſe, ac vivat. Cujus in nos benignitatem miram quî ſatis mirabimur? Ad cujus miſericordiam quî ſatis obſtupeſcemus? En qui Chriſtiani ſunt, ſævius etiam quam adverſarii, quam hoſtes Chriſti opes perdunt. At ille etiamnum bonus benignitatem ubique præſefert, ad pœnitentiam invitans. Tibi gloria, tibi, inquam, gloria, Domine: quantæ apud te clementiæ abyſſus, quantæ eſt patientiæ copia? Heu qui nominis tui prætextu, ex ignobilibus, & obſcuris clari, atque illuſtres effecti ſunt, honore abutuntur, contra eum qui honorem eſt elargitus; audentque non audenda, in ſacroſancta illa tua myſteria injurii, probos extrudentes, ejicienteſque, ut homines malis perditiſque moribus prædiți magna cum quiete, ac ſumma cum licentia quæcunque collibuerit, invertant, atque conturbent.

VII. Cujus quidem morbi ſi cauſas perdiſcere cupis, iis ipſis, quas paulo ante numeravi, ſimiles comperies: radicem enim, &, ut ſic dicam, matrem unam habent invidentiam: earum vero non una tan-

tum ſpecies eſt, ſed admodum diverſæ. Hic enim, inquiunt, quandoquidem juvenis eſt, ejiciatur. Ille, quandoquidem adulandi neſcius eſt: alius propterea quod illius cujuſpiam offenſionem incurrit: alius, ut ne indoleat ille neſcio quis, ſi quem ipſe eligendum obtulit, exploſum, hunc vero adlectum viderit: alius propterea quod probitate, benignitate, facilitate, humanitate præditus: alius propterea quod delinquentibus aſper ac terribilis: alius alia ſimili de cauſa: neque enim illis cauſæ, atque excuſationes deſunt, quotquot afferre voluerint. Atque adeo dum cauſari aliud non poſſunt, opum, divitiarumque copiam cauſantur: addentes, non oportere quemquam repente ad dignitatem hujuſmodi aſſumi, ſed ſenſim, & per gradus (*a*) quoſdam. Poſſunt & iidem alias quidem, atque alias, quotquot illis libitum fuerit, cauſas comminiſci.

VIII. Ego vero lubens hic ſciſcitarer. Quidnam igitur Epiſcopus hic faciet, conflictu illi contra tot ventos propoſito? Quonam ille modo adverſus tam multos fluctus unus reſiſtere poterit? Quî inſultus impetuſque machinarum hujuſmodi repellet? Etenim ſi rem recta ratione, ac judicio aggredi volet, inimici protinus omnes, tum eidem, tum ab ipſo electis, tum vero omnia ſtatim illi per contentionem, atque ut Epiſco-

[*a*] Eſt quidem vetus Eccleſiæ mos ex decreto Concilii Sardicenſis, Can. 10. neminem donari debere Epiſcopatu, niſi in inferioribus gradibus multo tempore probatus fuerit. Erat autem lex priorum ſeculorum, ut cum anno ſolum trigeſimo Diaconatus obtineretur, inde quinquennium uſque ad Presbyteratum decurreretur, & ab ipſo decennium ad Epiſcopatum uſque. Vide Thomaſſinum Parte 1. *Diſciplinæ*, lib 2. cap. 36. Celebre nihilominus eſt S. Ambroſii exemplum, qui, ut ait in ejus vita Paulinus, *baptizatus fertur omnia Eccleſiaſtica officia impleviſſe, atque octava die Epiſcopus ordinatus eſt*. Utinam, inquit Thomaſſinus, nec ſpectatum eſſet unquam, vel uſurpatum hujuſmodi exemplum, niſi in iis, qui Ambroſii ſimillimi eſſent.

Digitized by Google

Episcopo adversentur, faciunt; præterea & simultates, seditionesque quotidie concitant, & sexcentis etiam scommatis eorum vitam, qui electi fuerint, incessunt, horum nullum finem facientes, donec vel illos ejecerint, vel suos candidatos intromiserint. Denique perinde esse videas, ut si quis gubernator piratas habeat eadem navi una secum navigantes, qui quidem tum ipsi, tum nautis, tum vectoribus assidue, horisque singulis insidias struant.

IX. Quod si Episcopus illorum gratiam saluti suæ præposuerit, admissis iis, quos admissos esse non oportet, fiet profecto, ut illorum loco Deum sibi offensum habeat: quare quid illi inauspicatius accidere potest? Adde quod Episcopo eidem adversus illos res erit longe difficilior, molestiorque quam antehac, omnibus inter se se jam consentientibus, ac multo etiam fortioribus rei controversæ contentiosæque victoria accedente redditis. Nam quemadmodum sævientibus, pugnantibusque inter se se asperrimis ventis, derepente mare antea quietum, ac tranquillum, furit, atque intumescit, eosque omnes, quos tum vela facere contigerit, perdit; ita Ecclesiæ tranquillitas, perditis hominibus admissis, turbulentia (*a*) ac naufragiis permultis infestatur.

[*a*] Frequentissime a sacris Canonibus, & a Summis Pontificibus cautum est, ne homines perditis moribus ad Sacerdotium admitterentur, turbant enim pacem Ecclesiæ, & Christum persequuntur: *Non est jam dicere: Ut Populus, sic Sacerdos; quia nec sic populus, ut Sacerdos. Heu, heu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere; gerere principatum! Arcem Sion occuparunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps libere, & potestative tradunt incendio civitatem.* Verba sunt S. Bernardi in Sermone 1. de Conversione sancti Pauli. Ruinas populi esse Sacerdotes malos, testatur in Epistolis suis S. Gregorius Magnus, Pontifex Maximus. Id quod & alii Sancti Ecclesiæ Patres deplorant:

Digitized by Google

CAP. XIII.

Quantis virtutum præsidiis munitum esse oporteat, qui digne functurus est Episcopatu I. & II. Viduarum cura quantum negotii faceſſat Episcopo, & quæ Viduæ Ecclesiæ pecuniis non alendæ III. Paupertas involuntaria malum insatiabile, & quasi insanabile IV. Viduæ semper querulæ, & qualem erga ipsas se Episcopus gerere debeat V. Humanitas erga pauperes exercenda VI. Itemque patientia & æquanimitas VII. & VIII. Providentia dispensatori necessaria IX. Ad hospites, & ægrotos recte curandos quantis opus sit X.

1. HIC igitur animo expende, qualem esse oporteat eum, qui tantæ tempestati opponendus, ac tam multa impedimenta rerum ad communem salutem spectantium probe temperaturus sit. Nam & gravem illum, sed & minime fastuosom; & terrificum, sed humanum; & visenda majestate principem, sed omnibus tamen appellandis comem; eundemque integrum, sed officiosum; humilem, sed minime servilem: acrem quoque, ac vehementem esse convenit, sed tamen & mansuetum, ut nullo ipse negotio contra ipsa omnia, quæ dixi, depugnet; tum vero eum qui idoneus visus fuerit, magna cum authoritate, ac libertate, quamquam omnibus reclamantibus, in medium promovere possit; rursus eum, qui alius compertus fuerit, cum eadem illa authoritate, ac libertate, licet omnes contradicant, non admittere. Denique ut nihil in cujusquam vel gratiam, vel odium facere(*a*) conatus

(*a*) Utinam Episcopi hoc Chrysostomi monitum animis suis infigeret, & in Clericorum electionibus, nonad Baronum locorum commendationes, sed ad Ecclesiæ utilitatem, quæ unice spectanda est, respicerent: non paucos enim novi, qui iis tantum, quos Barones ipsi commendant, manus imponunt.

Digitized by Google

conatus, Eccleſiaſticæ unius ædificationis decus commodumque tantum ſpectet.

II. Tibi ne modo, Baſili, merito videor negotii iſtus miniſterium deprecatus fuiſſe? Atqui nondum omnia tibi percenſui, ſuperſunt enim alia mihi dicenda. Tu vero ne delaſſeris tantiſper, dum patienti aure ſuſtines viri amici, ac vere germani orationem, tibi perſuadere conantis, ſe ſe criminum eorum reum haudquaquam eſſe, quorum tute eum inſimulas. Neque enim ipſa hæc tantum conducunt ad defenſionem eam, quæ apud alios nomine noſtro uti potes, verum & ad ipſam muneris ejus, de quo agitur, functionem, lucrum, auxiliumque non exiguum conferunt. Eum enim oportet, qui ad tentandam vitæ hujuſmodi ſemitam acceſſurus eſt, omnia prius ad unguem perſcrutari, atque ita demum negotio manus admovere. Quamobrem? quandoquidem ſi nullum aliud inde naſceretur emolumentum, certe rerum omnium prudenter gnaro lucrum id ſupererit, ut quum id genus procellæ, tempeſtateſque emerſerint, nihil rerum inſolentia, ac novitate perturbetur.

III. Vis igitur, tibi hic a me prius expediri præſidium, patrociniumque id, quod viduis impendendum eſt? An ſtudium curamque eam, quam Epiſcopus Virginibus debet? an potius judicialis partis, cui ab illo maximopere attendendum eſt, difficultatem? Nam unumquodque horum diverſam ſibi curam vendicat, timoremque cura etiam illa longe graviorem. Ac primum, ut ab eo quod inter alia leviſſimum eſſe putant, exordiamur, viduarum quidem cultus videtur haud aliam quam pecuniæ inſumendæ ſolicitudinem iis præbere, qui illarum tractandarum, curandarumque provinciam ſuſcepere. Id autem longe aliter ſe habet, cum quoties illæ deligendæ, ac tamquam in catala-

gum (*a*) referendæ ſunt, & hic quoque magno admodum examine opus eſt. Id enim ipſum, quod temere, & ut caſus tulit, in album referantur, innumera olim mala peperit; nam & familias peſſumdedit, & nuptias divulſit: præterea hac una de cauſa compertum eſt, viduas aliquot tum furando, tum cauponando, atque alia id genus committendo, multa præter dignitatem, atque ordinem egiſſe. Hujuſmodi vero viduas Eccleſiaſtica (*b*) pecunia ali, præter quam quod Dei vindictam paratam habet, facit etiam, ut apud homines maximopere ea res improbetur, damneturque, ac multorum etiam beneficentiam remoretur. Quis enim unquam velit, quas quis Chriſto offerri mandavit, facultates, eas iis ſuſtentandis inſumi, quæ Chriſti nomen calumniari non ceſſant? quo nomine multam huc, ac diligentem afferre diſcuſſionem convenit: idque ne quæ

(*a*) Alebantur jam olim primis Chriſtianæ Religionis ſeculis viduæ ſtipendiis Eccleſiæ, ideoque inſcriptæ canoni ſeu catalago Eccleſiæ, modo tamen fuiſſent univiræ. Obſervat Tertullianus in libro *De velandis virginibus*, quas exigeret Apoſtolus virtutes & conditiones a viduis in Eccleſiæ catalogum recenſendis: *Ad quam ſedem præter annos ſexaginta, non tantum univiræ eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum, ſcilicet ut experimentis omnium affectuum ſtructæ, facile norint ceteras & conſilio & ſolatio juvare*. Sane nec viduis aliis, ſi pauperes erant, deerat Eccleſia. Hoc enim monet Apoſtolus in Epiſtola 1. ad Timotheum cap. 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*. Et rurſum: *Siquis autem fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia, ut iis, quæ vere vidue ſunt, ſufficiat*: ideſt, quæ omni ſuorum auxilio deſtitutæ ſunt, quæ manibus ſuis laborare non poſſunt, quas paupertas debilitat, ætaſque conficit, quibus Deus ſpes eſt, & omne opus oratio. Ut ſcire ſcribit in in Epiſtola ſua ad Ageruchiam S. Hieronymus.

(*b*) Notent hic ſacri Eleemoſynarii, quibus eleemoſynas Eccleſiæ erogent. Sunt enim viduæ, quæ ſe pauperes ſimulant, quum tamen opibus affluant, ut nimirum Eccleſiæ pecunia deliciosus vivant, eaſque, quæ vere inopes ſunt, ſubſidio priv ent.

Digitized by Google

quæ ſibi ipſæ vitam ſufficere poſſunt, ne dum illæ, de quibus locutus ſum, indigentium menſam abſumant.

IV. Porro diſcuſſionis hujus diligentiam ſequitur cura non mediocris, ut viduis videlicet in album relatis alimenta, quæ præſtanda ſunt, affatim tamquam ex fonte aliquo affluant, nec unquam deſint. Fit enim neſcio quo pacto, ut invita paupertas malum ſit inſatiabile, querimonia ſemper, atque ingratitudine plenum, ac multa ſane prudentia, multo item ſtudio opus eſt, ut qui criminationis cauſas omnes amovere a ſe cupit, ipſarum ora obſtruat. Jam plerique, ubi aliquem viderint pecuniæ imperantem, continuo idoneum ad ejuſmodi œconomiam pronunciant.

V. At ego nunquam exiſtimaverim, hanc illi animi magnitudinem ſatis eſſe, quam ipſam præſtandam quidem in primis eſſe, quippe ſine ea vaſtator potius, quam Antiſtes, & pro paſtore lupus fuerit; verum & una cum ea videndum puto, num & aliam animi virtutem habeat. Ea eſt autem mortalibus bonorum omnium author patientia, atque æquanimitas, hominis animum tamquam in ſerenum quendam portum appellens. Nam viduarum genus tum paupertatis, tum ætatis, tum ſenſus nomine immodicam ſibi libertatem uſurpat, ſic enim loqui præſtat, vociferanturque importune ſemper, & abs re conqueruntur, & lamentantur, ubi gratia habenda, & incuſant quod laudandum, ac probandum. Qua in parte Antiſtitem oportet omnia generoſe, ac fortiter pati, neque irritari, ſi quando illæ aut intempeſtive obtundant, aut immerito expoſtulent. Illarum enim infelicitas miſericordiam potius, quam contumeliam meretur, quarum certe calamitatibus Antiſtitem ipſum inſultare, & dolori ob dolorem nato, contumeliæ etiam moleſtiam addere, extremæ crudelitatis, atque immanitatis fuerit.

VI. Quocirca vir quidam ſapientiſſimus humani ingenii avaritiam faſtumque contemplatus, præterea intelligens paupertatis vim naturamque tantum poſſe, ut vel generoſiſſimum quemque animum proſternat, cogatque identidem iiſdem rebus poſtulandis impudentem eſſe, ut ne quis per pauperum efflagitationes ira excandeſceret, tum vero aſſiduo illorum occurſu irritatus, illis adverſarius is fieret, qui opem afferre deberet: ipſum inſtruit ad ſeſe mitem ac facilem indigenti præſtandum: *Pauperi*, inquit, (*a*) *citra animi tui moleſtiam aurem inclina, atque illi pacifice humaneque reſpondeto*: ac miſſum faciens indigentem, eumdemque irritantem (quid enim dicere quis ad eum poſſit, qui ſupplex jaceat?) cum eo ſapientiſſimus ille idem verba facit, qui illius infirmitatem ſublevare poteſt, exhortans, ut tum vultus manſuetudine, tum orationis humanitate, antequam ad largitionem deſcendat, (*b*) illius animum erigat excitetque. VII.

(*a*) Eccleſiaſtici cap. 4.

[*b*] De pauperum amore, ac de humanitate erga ipſos exercenda elegantiſſimam orationem concinnavit S. Gregorius Nazianzenus, quæ utinam a Chriſtianis legeretur. Quod Epiſcopos ſpectat, nihil frequentius a ſacris Canonibus, & ſanctis Patribus ediciur, quam curam pauperum ad Epiſcopos pertinere. S. Hieronymus diſerte inquit in Epiſtola ad Nepotianum: *Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis*. Narrat Severus Sulpitius in Vita S. Martini dialogo 3. probro & convitio ab eo affectum Briciun quendam opes ſibi in Clericatu accumulantem, equos, ſervoſque comparantem, cum ante Clericatum inops prorſus, & in cœnobio a Martino ipſo enutritus fuiſſet: *Objurgatus pridie ab eo fuerat, cur qui nihil unquam ante clericatum, quippe in monaſtero ab ipſo Martino enutritus, habuiſſet, equos aleret, mancipia compararet*. Utinam plerique ſacri homines ab hac Bricii ruga ſe immunes ſervarent: nonnullos enim videmus ditiores Clericos, qui ante Clericatum mendici erant.

Digitized by Google

VII. Quod si quis destinatas viduis facultates non usurpet quidem, in ipsas autem probra coniiciat infinita, contumeliaque afficiat, atque adeo adversus eas irritetur, non solum liberalitate sua natum a paupertate dolorem non sublevat, verum & malum ipsum convitiis aggravat, coguntur enim perfricta admodum esse fronte ob ventris esurientis necessitatem; verumtamen & dolorem etiam ab hujusmodi vi, contumeliaque concipiunt, proinde quum ob inediæ timorem mendicare, & ob mendicitatem impudentes esse cogantur; rursus quum ob impudentiam contumelia afficiantur, multiformis quædam angoris, mœstitiæ, doloriſque vis, & quæ caliginem multam afferat, in illarum animum irruit, eumque oportet qui illarum curam suscipit, hactenus æquanimem, patientemque esse, ut non solum non sua bile, & indignatione illarum mœstitiam, anxietatemque augeat, sed & consolatione sua dolorem eum magna ex parte sopiat, qui aliunde enatus illarum animos occupaverit.

VIII. Nam quemadmodum nescio quo pacto fit, ut quem contumelia affeceris, is non sentiat pecuniarum acceptarum subsidium ob inflictam contumeliæ plagam: sic quem blande atque humaniter appellaveris, quique donum aliquod una cum sui consolatione a te acceperit, exultat magnopere, ac lætatur; tum vero donum ipsum donantis vultus gestusque conduplicat. Quæ ipsa non ex me pronuntio, sed ex illius verbis, cujus illa ipsa est admonitio, quæ præcessit. *Fili*, enim (*a*) inquit, *in bonis ne des querelam: & in quocumque dato ne des tristitiam verbi: nonne ros ardorem tollet? sic verbum melius quam datum. Ecce enim verbum supra dona ipsa excellens bonum, utrumque autem est apud virum gratiosum.*

IX.

(*a*) Ecclesiastici cap. 18. juxta versionem LXX.

IX. Proinde non humanum ſolum, ac patientem, qui illarum curam ſuſcipit, verum nihilo etiam minus œconomicum eſſe oportet: quandoquidem ſi ipſum hoc abfuerit, rurſus pauperum facultates in idem damnum recidunt. Pridem enim quidam, cui adminiſtrationis hujuſmodi provincia demandata fuerat, magnam auri copiam cum collegiſſet, id ipſe quidem haudquaquam devoravit; ſed neque in indigentium uſum præter pauca quædam inſumpſit: maximam autem pecuniæ illius partem terra obrutam aſſervavit, donec temporis iniquitas ſuperveniens hoſtibus (*a*) in manum illam totam tradidiſſet. Magna igitur proviſione opus eſt, ut Eccleſiæ facultates neque redundent, neque rurſus deſint; ſed quæ Eccleſiæ erogantur, continuo (*b*) indigentibus ſunt diſpertienda; ceterum in ſubditorum animis, ac benevolentia Eccleſiæ theſauri collocandi.

X. Enim vero quanta pecuniarum impenſa opus eſſe

(*a*) Innumera ejus rei exempla afferri poſſent, quis enim neſcit, pretioſa quæque Eccleſiæ ornamenta a latronibus in dies diripi: *An ignoramus*, inquit S. Ambroſius lib. 2. *De officiis*, cap. 28. *quantum auri, atque argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerint? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis?*

(*b*) Eſt antiquus Eccleſiæ canon, qui docet, bona Eccleſiæ eſſe vota fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum *Eccleſia*, inquit laudatus Ambroſius, *aurum non habet, ut ſervet, ſed ut eroget, & det pauperibus*. Hinc merito illos acerbius reprehendit Concilium Aquiſgranenſe anni 829. Can. 18. quibus diſplicebat augeſcere ſemper, & cumulari Eccleſiæ divitias: cum illa revera ſemper egeat, quandiu pauperes ſunt, quorum alendæ multitudini numquam pares poſſunt eſſe opes, ac nimiæ, ſi eo modo, quo diſpenſandæ ſunt, diſpenſentur. Tum ita concludit: *Mira namque res! ambitio mundalis ſatis non habet; & Eccleſia Chriſti nimium habet?* Vide noſtrum 1. Tomum Conciliorum ubi fuſe de ea re diſſeruimus.

Digitized by Google

esse existimas, tum in excipiendis (*a*) hospitibus tum in curandis (*b*) ægrotis? quantam autem tum diligentiam, tum prudentiam ad eam rem afferre debent, qui illi præfecti sunt? quando hanc ipsam impensam nequaquam ea, quam dixi, inferiorem, plerumque autem & majorem esse oportet; præfectumque ipsum largitorem esse decet, circumspectum, ac prudentem, ut eos, qui bonis abundant, animet, ut etiam certatim, atque hilariter bona sua impertiantur: ne dum consulit tollendæ ab infirmis inopiæ, largientium animos percellat, offendatque; atque in hac

(*a*) Hospitalitas Episcopum quam maxime decet, eamque Episcopis commendat Apostolus. Hinc crimen Chrysostomo conflatum, quod solus vesceretur. Ejus rei causam affert in illius vita Palladius, quod præ infirmitate cibum plerumque vesperi tantum sumeret: quod majores sumptus pati non poterat: & demum quod in Urbe amplissima, qualis erat Constantinopolis, plerique laicorum hospitalitatem servarent. Ceterum construxit S. Basilius Xenodochium magnificentissimum, quod summopere laudat S. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Basilii. Vide Commentarium in Can. 8. Chalcedonensem nostro 1. Tomo Conciliorum. Quamvis vero plerique olim Episcopi excipiendis hospitibus Xenodochia construxerint, non pauci tamen, inter quos Augustinus hospitalitatem in æde mensaque sua exercebat. Peregrinis excipiendis Romæ anno 1548. una cum S. Philippo Nerio, qui deinde anno 1558. nostram Congregationem Oratorii S. Hieronymi Charitatis fundavit, Sodalitium sub nomine Sanctissimæ Trinitatis instituit noster Persianus Rosa, de quo vide nostras Notas ad Humbertum de Romanis, de eruditione Prædicatorum pag. 194. & seq.

[*b*] Jam non modo viduarum, pauperum, peregrinorumque, sed & ægrorum curam olim habuisse Episcopum, profecto addiscimus ex celebri Epistola S. Cornelii Papæ apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 42. Testatur enim non tantum Clericos ab Ecclesia Romana ali, sed etiam mille & quingentas viduas, ægros, pauperesque: *Viduas denique cum infirmis, & egentibus plusquam mille & quingentos: quibus universis gratia, & benignitas Dei alimenta suppeditat.*

Digitized by Google

hac quidem parte ſolicitam animi propenſionem ſtudiumque multo vehementius præſtare convenit. Sunt enim quodammodo qui ægrotant, moroſi, ac torpeſcentes; ac niſi ſummam undecumque diligentiam, curamque adhibeas, vel tantillum, quod quidem a te fuerit neglectum, ejuſmodi eſt, ut ægrotanti mali plurimum afferre poſſit.

CAP. XIV.

Quam ſit res plena formidinis regere Virgines I. & II. Virginum cura & cuſtodia quam Epiſcopo difficilis III. Epiſcopo non licet uti Virginum contubernio, ſed nec ipſis ſæpe foras prodire IV. Poteſt Epiſcopus aliis quidem Virginum curam committere ſed utilius eſt, ut omnia ipſe adminiſtret V.

1. CEterum quod ad Virginum (*a*) curam ſpectat, tanto certe major inibi timor ineſt, quanto virginitatis donum pretioſius, quanto virginalis grex ceteris regalior. Pridem enim factum eſt, ut & in ſanctarum Virginum chorum infinitæ, eædemque vitiis refertæ infinitis invaſerint, debacchatæque fuerint: quæ res & luctum multum acerbiſſimum parit. Ac quemadmodum non ex æquo ſe res habet, puella ne liberalis, an illius ancilla peccet; ſic paria inter ſe non ſunt Virginis ac Viduæ delicta. Viduis enim impune eſt nugari, & convitiis inter ſe depugnare, & adulari, & fronte perfricta eſſe, & nuſquam non apparere, & foro frequentes eſſe. At Virgo ad majora ſeſe

(*a*) Fuſe de Virginibus egimus noſtro 1. Tomo in Romanum Pontificale, ad Titulum, *De benedictione, & conſacratione Virginum*. Harum quidem cura, & ſolicitudo ingens fuit penes Epiſcopos, uti videre eſt apud ſanctum Cyprianum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Baſilium, Auguſtinum, & alios ſanctiſſimos Epiſcopos, qui libros de Virginibus ſcripſere.

Digitized by Google

ſe ſe accinxit certamina, utpote quæ cæleſtis illius philoſophiæ æmulatrix, profitetur ſe angelicam vitam in terris referre: cui item propoſitum eſt, ut illa eadem præſtet, quæ cæleſtes illæ atque incorporeæ virtutes præſtant: quam ipſam non convenit, neque frequentes, ac ſupervacaneas inambulationes agere; neque verba temere, atque inconſulte effutire: convitii vero, atque adulationis ne nomen quidem agnoſcere: propterea tutiſſima cuſtodia, ac majori præſidio indiget: nam ſanctimoniæ adverſarius quotidie adſtat, iiſque inprimis inſidiatur, devorare paratus ſicubi Virgo aliqua cadat (*a*) labaturque. Præterea ex hominibus inſidiantur permulti, cumque his omnibus naturæ inſania. Denique ſuus illi ordo, in quem ſe adſcribi voluit, bellum conduplicat; tum quod extrinſecus ingruat, tum quod intrinſecus obturbet.

II. His igitur de cauſis efficitur, ut ei qui regendis Virginibus præfectus ſit, magnus timor immineat, ſed majus tamen periculum: major animi dolor, ſi quid forte præter animi ſententiam, quod Deus avertat, eveniat. Nam ſi patri filia occultam in animo vigilantiam affert; ſi item cura de ea ſuſcepta ſomnum a paternis oculis excutit, ubi timoris illi tantum incumbit, ne vel filia ſterilis evadat, ne vel nubilem ætatem domi paternæ tranſigat, vel inviſa aliis negligatur:

(*a*) Dolet Cyprianus tum in Epiſtola 62. ad Pomponium, tum in libro de habitu virginum, frequenter ſuo tempore ingemuiſſe Eccleſiam Virginum lapſus; de eoque etiam & alii Patres dolent. S. Hieronymus in celebri Epiſtola ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis, hæc inter alia habet: *Piget dicere, quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia.* Hodie res eo devenit, ut ad ipſos parentes complurium virginum lapſus referri poſſit: frequentant enim cum ipſis popinas, ac juvenes etiam ducunt, ut impleatur in iis quod olim Joel Propheta dixit: *Puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.*

Digitized by Google

gatur: quid facturum putamus eum, cujus animum nulla harum rerum, quas dixi, cura tangat, sed qui de aliis quibusdam longe gravioribus solicitus sit? Neque enim hic agitur de mariti, sed de Christi ipsius neglectu ac contemptu: neque ipsa sterilitas opprobrium, ignominiamque tantum, sed animæ tandem internecionem parit: (a) *Omnis enim arbor*, inquit, *fructum non faciens bonum, exciditur, & in ignem mittitur*. Jam Virgini, quam Sponsus Christus oderit, non satis est, accepto repudii libello, abire; sed odii illius pœnas luit, supplicium æternum. Ac pariter quidem secundum carnem multa habet præsidia, quibus proclive illi sit filiam asservare, ad cujus Virginis custodiam opitulantur, tum mater, tum nutrix, tum famulorum turba, tum domus tutela. Neque enim licet ei frequenter in forum descendere, neque, si quando ea descenderit, occurrentium oculis conspicua esse cogitur, cum non minus quam domus parietibus vesperæ tenebris occultetur ea, quæ conspicua esse noluerit. Præter hæc autem culpæ omnis, atque criminationis expers est, quod nunquam cogatur in virorum prodire conspectum. Neque enim rerum necessariarum cura, neque injuriorum hominum improbæ molestiæ, neque id genus aliud, hominum occursum congressumque necessarium illi efficit, cum illi pater pro omnibus sit, ipsa autem unam dumtaxat curam habeat, ut nihil scilicet vel faciat, vel loquatur, quod virginalem honestatem dedeceat.

III. At si Episcopi partes spectes, multa certe sunt, quæ illi virginum custodiam difficilem, seu potius omni arte superiorem efficiunt. Neque enim illam secum domi habere possit, neque aliud sane contubernium decens, aut periculo vacans fuerit: etenim

(a) Lucæ cap. 3.

etenim ut nullum vel hinc detrimentum ipsi patiantur, sed sinceram constantemque sanctimoniam servent; nihilo tamen minus rationem reddituri sunt pro iis animabus, quas offenderint, ac prava aliqua suspicione asperserint, quam si inter se peccavisse eos contigerit.

IV. Porro quum Episcopo non liceat Virginum contubernio uti, relinquitur, ut facile illi non sit virginalis animi motus perdiscere, & quæ nimis exuberant, ordinemque excedunt, circumcidere: quæ autem intra ordinem, ac numerum consistunt, magis ac magis excolere, atque in meliorem profectum perducere; tum vero eidem non perinde proclive erit perscrutari, curioseque indagare, siquando Virgines (*a*) domo egressæ foras eant, vagenturque. Nam quod Virgo inops sit, atque imperio soluta, idipsum certe efficit, ut Episcopus haud ita magnam diligentiam præstet in examinanda illius honestate: quippe cum ipsa sibi omnia administrare cogatur, complures interim intemperate vivere volenti egressuum

(*a*) Jam ab ipso Ecclesiæ initio fuisse quæ rite suam virginitatem Deo consecrarent, fuse diximus nostro 1. Tomo Commentariorum in Pontificale Romanum ad Titulum, *De benedictione & consecratione Virginum*. Hic illud notandum, quod tametsi post pacem per Constantinum Ecclesiæ datam constructa monasteria fuerint, in quibus agerent deinceps Virgines sacræ, fuerunt etiam aliæ Virgines Deo sacræ, quæ in domibus paternis manebant, in interiori scilicet earum parte a virorum conspectu alienæ. Docet id quidem S. Cyprianus in Epistola 42. ad Pomponium, & alii prisci Scriptores, qui etiam tradunt ali Virgines ipsas consueviſſe stipendiis Ecclesiæ, in cujus catalogo, canone, vel matricula erant adscriptæ. Id sane innuit Chrysostomus, ubi paulo superius dixit: *Quæ autem intra ordinem ac numerum consistunt &c.* Ceterum fuere ex ipsis quæ domo frequenter egrederentur, balnea adirent, nuptiis interessent non sine periculo amittendæ virginitatis. Vide S. Cyprianum in lib. *De habitu Virginum*, & S. Hieronymum, *De custodia Virginitatis*.

ſuum vagationumque tituli, ac prætextus, quos quidem impedire eum oportet, qui illam jusſerit domi aſſidue demorari, rebus neceſſariis ſuppeditatis, ac data pediſſiqua, quæ illi adminiſtret. Jam & Virgini oportet funebres pompas, ac publica pervigilia interdicta eſſe. Novit enim, novit ingenioſiſſimus ſerpens ille vel per bona opera ſuum virus diſſeminare: propterea Virginem oportet undique tamquam muro circumſeptam eſſe, ac toto anno perraro domo egredi: idque demum, quum ineſcuſabiles, ac neceſſariæ vigebunt cauſæ.

V. Quod ſi quis dicet, Epiſcopo opus non eſſe, ut res hujuſmodi pertractet: noverit is ſingulas virginalis ſtudii curas, atque adeo criminationes omnes, quas in Virgines conjici contigerit, in illum recidere: qua ex re utilius multo fuerit, ſi ipſe rem per ſe adminiſtrans ab iis cauſis vacet, quas illum per aliorum delicta ſuſtinere oportet, quam ea adminiſtratione relicta, ſubjicere ſe periculo reddendæ rationis, & judicio eorum delictorum, quæ alii commiſerint. Adde quod qui per ſe ipſe hoc munus exequitur, magna cum facilitate omnia tranſigit; qui autem neceſſe habet vicaria (*a*) aliorum opera defungi, præterquamquod magnum illi adeſt negotium, ut omnium animos ad id munus gerendum ſibi perſuaſos reddat: certe laboris remiſſionem tantam non habet ex functionis illius abſtinentia, quanta negotia, quantoſque turbines ſuſtinet ab iis, qui reſiſtunt, atque ipſius ſententiæ, & judicio repugnant. At vero virium noſtrarum non fuerit eas omnes curas ſolicitudineſque percenſere, quas ſibi ſtudium, quod Virginibus impendendum eſt, vendicat; quæ ipſe quum in album

(*a*) Quid nunc diceret zelantiſſimus Præſul Chryſoſtomus, ſi omnia pene munia alicubi per Vicarios agi cerneret Epiſcopalia?

bum referendæ ſunt, mirum dictu eſt, quanta illi negotia faceſſant, (*a*) cui provinciam hanc credideris.

CAP. XV.

Functio Epiſcoporum in tractandis judiciis, quantis ſit plena moleſtiis I. Alia querelarum occaſio ob onus viſitandi ægros, ac ſanos II. Quam acres, & mordaces habeat Præſul ſuarum actionum cenſores III., & IV. Excommunicationis vibrandæ onus V. Non tantum de ſuis, ſed & de alienis peccatis reddenda ratio ab Epiſcopis VI.

I. JAM pars illa, quam Epiſcopum tractare in judiciis (*b*) convenit, infinita certe odia, infinitas offenſiones parit: quæ ipſa præterquam quod negotiis permultis plena eſt, tam multas etiam difficultates affert, quam multas, ne forenſes quidem judices ſuſtinent. Nam quum juſtum ipſum invenire labor

(*a*) Res erat profecto difficilis, ſarcinæque Epiſcopalis moleſtiſſima occupatio Virgines dijudicare, quæ in Eccleſiæ catalagos referendæ eſſent, ut illius ſtipendiis paſcerentur. Uti ea in re vicaria aliorum opera, non vacat periculo. Quis enim neſcit, multos Chriſtianæ charitatis opera exercere præſertim erga feminas ad ſuam earumque perniciem.

[*b*] Quanta cum authoritate, aſſiduitate, pietate, primis præſertim quinque ſeculis Eccleſiæ, litibus ſeu clericorum, ſeu laicorum vacarent Epiſcopi, teſtis inter alios eſt Auguſtinus in libro de opere monachorum cap. 29. de quo etiam ita in ejus vita ſcribit Poſſidius: *Cauſas aliquando uſque ad horam refectionis aliquando autem tota die jejunans, ſemper tamen noſcebat, & dirimebat &c.* De Abraame ex Eremo ad Epiſcopatum evecto ſcribit Theodoretus: *In litigantium autem controverſiis diem totum ponens, aliis, ut inter ſe conciliarentur, perſuadebat: alios cogebat, qui ad juſta facienda ſuaſionibus non parebant. Nec iniuſtorum quisquam audacia ſua de jure victor receſſit; injuria enim oppreſſo juſti partem ſemper addens, inexpugnabilem eum reddebat, & eo, qui injuram facere volebat, ſuperiorem.*

Digitized by Google

bor est, tum eo invento, id non labefactare laboriosum. Neque vero hic negotium tantum, ac difficultas, sed & periculum non mediocre inest. Pridem enim ex infirmioribus quidam molestiis quum premerentur, neque haberent, quorum defensione, ac patrocinio sublevarentur, fidei naufragium fecerunt. Fit autem nescio quo modo, ut qui injuria afficiuntur, nihilo minus eos oderint, a quibus non adjuvantur, quam eos, qui injuriam inferunt, ac neque negotiorum distractionis, neque temporum inclementiæ, neque Episcopalis magnitudinis, neque alterius id genus rei cujusquam rationem ullam habere volunt, quinimo judices se ipsi præstant inexorabiles, defensionem unam prætendentes, malorum se prementium defunctionem: quam quidem qui præstare non potuerit, quamvis mille etiam causas afferat, numquam effecerit, ut illorum condemnationem non subeat.

II. Et quoniam nos in patrocinii mentionem incidimus, age hic & aliam quandam querelarum speciem causamque tibi patefaciam. Nam nisi quotidie Episcopus omnium domos circumierit, hac in parte vel eos superans, quibus nullum aliud studium est, quam in foro versandi, deambulandique, hinc continuo offensiones infinitæ emergent. Neque enim ii solum, qui ægrotant, sed qui sani sunt, invisi se volunt. Id quod non religionis, ac pietatis, sed honoris, dignitatisque potius nomine plurimi sibi vendicant; ac si quem forte contigerit ex ditioribus, potentioribusque Christianis, Ecclesiæ usu lucroque communi ita urgente, ab Episcopo frequentius invisi, hic protinus Episcopus palpatoris, atque adulatoris notam sibi inurit.

III. Sed quid attinet patrocinandi, invisendique partes hic persequi, quum & solæ appellationes, salutan-

lutationeſque, quibus Epiſcopum uti oportet, tam magnum etiam criminationum pondus afferant, ut & ille pondere ferendo incurvetur, atque adeo præ animi mœſtitia plerumque ſuccumbat, ut nihil hic agam, quod & ob oculos huc potius, quam illuc conjectos, ad calculos vocare illum volunt. Quæ enim ab Epiſcopis ſimpliciter fiunt, (*a*) plerique accurate, ac diligenter excutiunt, penſitata etiam vocis menſura, aſpectus habitu, ac riſus quantitate. Illi enim, inquiunt, magnifice arriſit, eumdemque tum hilari vultu, tum voce liberali ſalutavit: me vero longe parcius, atque, ut caſus tulit, ac niſi multis uno in loco ſimul ſedentibus, quoquo verſus oculos ille circumtulerit, omnes appellans, idipſum contumeliam eſſe vulgus dictitat. Quis igitur, qui idem ſit admodum fortis, tam multis accuſatoribus ſufficere poterit? ut vel ab illis prorſus non accuſetur, vel accuſatus crimen effugiat. Oportet enim primum, te ne reum quidem eſſe, accuſatoreſque habere; deinde, ſi id præſtare nequaquam potes, diluenda ſunt crimina, quæ illi objecerint.

IV. Quod ſi ne iſtud quidem facile erit, ſed delectabunt quoſdam temerariæ, ac nulla cauſa ſubſiſtentes criminationes, tum demum generoſe, ac fortiter animi doloribus hujuſmodi occurrendum reſiſtendumque. Etenim qui merito incuſatur, facile tulerit eum a quo incuſatur, quippe quum accuſator nullus ſit infeſtior, quam conſcientia ipſa, efficitur, ut quoties ab ea, quæ omnium moleſtiſſima eſt, deprehenſi,

(*a*) Huc referri poteſt quod ſcribit Chryſoſtomus Homilia 15. in Epiſtolam Pauli ad Timotheum: *Eſt Prælatus linguis innumeris propoſitus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius compoſitionem in jus trahit, magnaque illi conſtantia ad ipſa toleranda opus eſt:*

Digitized by Google

convictique prius fuerimus, accusatores extraneos tamquam mansuetiores, facile postmodum patiamur. Porro qui nullius sibi culpæ conscius est, dum injuste accusatur, continuo ad iram propensus fertur, nec non animum facile despondet; nisi idem sic se prius animo comparaverit, præparaveritque, ut multorum insipientiam patientissime ferat: fieri enim vix potest, ut qui se temere calumniam pati, atque inique damnari intelligit, non aliquo modo adversus tantam hominum iniquitatem, atque absurditatem commoveatur.

V. Quorsum autem hic enumerare attinet reliquas illas molestias, doloresque, quos tolerare Episcopum oportet, dum necesse est amovere aliquem ab Ecclesiæ cœtu? quæ atrocitas utinam intra molestiam doloremque consistat, ac non etiam perniciem non mediocrem afferat, timendum enim est, ne ille forte ad injustius supplicium adactus dolore immodico, quod beatus (*a*) Paulus ait, absorbeatur. Magna ergo diligentia (*b*) hic opus est, ne dum prodesse illi cupis, majoris damni author sis. Nam quæcumque ille post hujusmodi curationem peccata commiserit, futurum est,

[*a*] 2. Ad Corinthios 2.

(*b*) Temere non esse vibrandam excommunicationem, frequenter sacri Canones, & sancti Patres inculcant. Quemadmodum enim periti medici ad membrorum resecationem non accedunt, nisi necessitate ac gravitate vulneris compulsi, aliisque mediis tentatis, ita pia mater Ecclesia ad membrorum suorum resectionem non nisi necessitate urgente aliisque mediis adhibitis cum magno animi dolore accedit: *Cum dolore enim amputatur*, ait S. Ambrosius lib. 2. officiorum cap. 27. *etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit, tunc a medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere: postremo, quod sanari non potest, cum dolore abscindere.*

Digitized by Google

eſt, ut horum ſingulorum pœna cum multo illo communis ſit, qui vulnus probe non inciderit.

VI. Quam multa igitur ſupplicia Epiſcopos manent, quum ex eis unuſquiſque non ſolum rationem redditurus ſit ſuorum delictorum, ſed eorum item omnium, quæ alii commiſerint, ad extremum illos venire oporteat periculum? Nam ſi horremus, dum judicium id nobis ſubeundum eſt, in quo peccatorum propriorum rationem reddituri ſumus, ut qui ſentiamus nos illum ignem æternum effugere nequaquam poſſe: quid illi expectandum eſt, qui tam multorum nomine cauſam ſit ipſe dicturus. Quod autem hoc verum ſit, audi beatum Paulum, quin potius non Paulum, ſed Chriſtum Pauli ore loquentem: (a) *Parete eis, qui præſunt vobis: nam illi vigilant pro animis veſtris tamquam rationem reddituri.* Hiccine exiguus tibi videtur comminationis (b) terror? Equidem illum, quantus ſit, verbis exprimere non poſſum. Uſque adeo ut qui admodum etiam animo duri ſint, ac qui ſe facile aliorum oratione perſuaderi non patiantur, quæ dixi, abunde ſufficiant, ad perſuadendum illis, nos neque faſtu, atque contumacia, neque inani gloria captos, ſed tum nobis ipſis tantum timentes, tum rei ipſius magnitudinem emenſos, fugæ genus hoc quæſiviſſe.

(a) Vide Epiſtolam ad Hebræos cap. 13.

[b] Is ſane ſeveriſſimæ comminationis terror non modo Viros olim ſanctiſſimos a ſuſcipiendo Epiſcopatu deterrebat, ſed effecit quoque, ut complures Epiſcopatui renunciarint. Quod autem Epiſcopatus ſemel ſuſceptus poſſit aliquando cum laude deſeri, multis exemplis oſtendit S. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, qui & ſuum deſeruit, & ad Monaſticum ſtatum rediit. Vide Epiſtolas ipſius 9. & 10. lib. 1. Porro autem non laude ſed potius cenſura non paucos dignos cenſuerim, qui pinguem in Epiſcopatibus ſibi penſionem reſervantes, variis prætextibus illos repudiant, ut liberius & commodius vivant, ubi ipſis collibitum fuerit.

Digitized by Google

DE SACERDOTIO

LIBER IV.

CAP. I.

Non solum eos, qui ultro ad Sacerdotium aspirant, sed etiam qui eo vi pertrahuntur, graviter puniendos, si officio desint I. Miseri qui temere suscipiunt præfecturas Ecclesiæ II. Saulis exemplo etiam dignitates esse periculosas etsi a Deo delatas III. Abuti dignitate ad peccandi licentiam, est quasi divinæ vocationi peccatorum incentiva adscribere IV. Exemplo Heli, Aaron, & Moysis, ostendit, præfecturas non vacare periculo, licet ambitiose minime quæsitas V. & VI. Nulla excusatio relicta non solum rapientibus honorem, sed & raptis ad illum VII. & VIII.

I. HÆC BASILIUS quum audisset, paulum cunctatus. Tu vero, inquit, si studiose principatum hunc tibi comparasses: nimirum animi tui formido ista ratione aliqua niteretur. Nam qui se idoneum ad muneris alicujus functionem semel professus est, hoc ipso quod functionem ipsam studiose arripuerit, hic certe, si quid post creditam sibi muneris administrandi provinciam aberraverit, haudquaquam ad insciliæ prætextum confugere possit: ut qui antevertens, sibi ipse defensionem ademerit, vel ob id quod accurrerit, quodque administrationem eam sibi rapuerit; in tantum ut qui sponte ac volens eo accesserit, jam non sermonem hunc usurpare possit: Invitus peccavi, invitus illum aliquem perdidi. Dicet enim ad eum, qui tum illi hac in causa judex futurus est: At tantæ conscius

conſcius tibi ipſe imperitiæ, quo tandem nomine, quum animi conſiliique tui vires pares non eſſent, functioni hujuſmodi inculpate pertractandæ advolaſti, auſuſque es provinciam humeris iſtis minime parem ſubire? Quiſnam obſecro te ad id coegit? Quiſnam vi te attraxit detractantem fugientemque? Tu vero nihil tale unquam auditurus es: neque enim ipſe poſſis delicti cujuſquam hujuſmodi te ipſum damnare, cum ſit omnibus jam manifeſtum, te ne tantillum quidem laboraviſſe, ut honorem hunc aſſequereris, ſed aliorum potius officium beneficiumque id honoris tibi detuliſſe. Atque adeo, quod illos delictorum veniam impetrare non patitur, hoc certe abundans tibi apologiæ argumentum ſubminiſtrat.

II. CHRYSOSTOMUS. Ad hos ſermones caput quum moviſſem, ſenſimque arriſiſſem, hominis facilitatem, ſimplicitatemque demiratus, hac ego ad ipſum oratione uſus ſum: Equidem optarim, optime Baſili, hæc ita ſe habere, ut dixi: idque non ut id muneris amplectar, quod jam detrectavi. Nam ut mihi etiam nullum propoſitum ſit ſupplicium, defunctorie, atque adeo imperite Chriſtiani gregis adminiſtrationem gerenti: mihi tamen omni ſupplicio gravius fuerit, ſi conſtaret, me, cui tam excellens credita fuiſſet functio, pro ejus dignitate qui crediditſſet, ſuſtinere eam non poſſe. Quamobrem igitur optarim tuam iſtam opinionem nequaquam falſam, ſed potius veram eſſe? Nempe, ut miſeris calamitoſiſque, neque enim alio nomine ii digni ſunt, qui recte non aſpirarunt ad muneris iſtius præfecturam, millies licet eos dicas vi pertractos fuiſſe, atque ignorantia peccaſſe, ut miſeris, inquam, illis effugere liceat ignem illum æternum, exreriores tenebras, ac vermem nunquam emoriturum, poſtremo, ut ne diſſecentur,

ac perditi cum hypocritis partem habeant. Verum quid facias? Certe longe aliter se se res habet.

III. Ac si placet, a regno inprimis aggressus, cujus quidem rationem Deus tantam non habet, quantam Sacerdotii, verborum meorum fidem tibi faciam. Saul ille qui patrem Cis habuit, non suo ipse studio rex factus est, ut qui quum abiisset asinas pervestigaturus, Prophetam super iis rogare cœpit; at ille cum eo de regno colloquutus est. Porro Saul ne auditis quidem Prophetæ verbis ad regni administrationem suscipiendam sibi accurrendum putavit. Quinimo tergiversatus deprecatusque est, inquiens (a) *Quisnam ego sum? quænam item patris mei domus?* Quid tandem Saul posteaquam non recte honore sibi a Deo delato usus est, potuere ne ipsum verba ista eximere ab ejus ira, a quo rex ipse creatus fuerat? Atqui licebat illi adversus Samuelem increpantem, insimulantemque verbis his uti: Numquid ad regnum ipse administrandum accurri? Numquid ad hujus potestatis regimen profilii, atque advolavi? Equidem in animo habui privatam vitam vivere, quietam quidem illam, ac molestiis vacantem: tu vero ad hoc me dignitatis, authoritatisque pertraxisti. In illa ergo vitæ humilitate atque obscuritate versatus facile offensiones has devitassem. Nam si ex vulgarium, atque ignobilium hominum numero unus fuissem, mihi adversus Amalechitas bellum Deus non credidisset, quo mihi non credito, peccatum hujusmodi numquam perpetrassem.

IV. Verum hæc quæ dixi, omnia ad defensionem sunt infirma; neque infirma tantum, sed etiam usque adeo periculosa, ut Dei iram magis irritent. Eum enim qui magistratum meritis suis majorem asse-

quutus

(a) 1. Regum 9.

quutus est, ut errata ipse sua tueatur, defendatque, magistratus magnitudinem prætendere non oportet, quinimo in majorem virtutis profectum magna illa Dei erga se benevolentia uti. Qui vero ob id peccandi licentiam sibi tribuit, quod præstantiori dignitate ornatus sit, certe nihil aliud, quam Dei benignitatem, peccatorum suorum authorem facere conatur: id quod solemne quidem est impiis (*a*) hominibus, iisque quorum vita in ignavia, ac socordia versatur. Nos autem sic animatos haudquaquam esse convenit, neque in parem cum illis insaniam prolabi, sed omni ex parte operam dare, ut vigilantiam nostram omnem pro virili exhibeamus, bene ubique de Deo ominantes, nunciantes, cogitantes.

V. Neque enim Heli, (*b*) ut dimisso regno ad Sacerdotium, de quo nobis sermo habetur, veniamus, studiose, ambitioseve dignitatem illam sibi paravit. Hoc ipsum igitur quid illi post delictum profuit? At quid dico, paravit? quum ne illi quidem id muneris detrectare per legis necessitatem fas fuisset: ut qui unus esset ex tribu Levi, ac quem ipsum oporteret dignitatem illam ad se jam a majorum suorum retro origine descendentem suscipere: qui idem tamen liberorum suorum petulantiæ non mediocres pœnas dedit.

VI. Jam quid dicas de primo illo Judæorum (*c*) Sacerdote, de quo tam multa cum Moyse Deus verba fecit? Nonne hic posteaquam unus non potuit tanti populi insaniæ resistere, parum abfuit, quin periret, nisi fratris patrocinium Dei iram avertisset? Posteaquam vero Moysis mentionem intulimus, consentaneum est ex iis, quæ illi obvenere, orationis nostræ verita-

[*a*] Is est unus hodie ex præcipuis impii Calvini erroribus.
[*b*] Vide ejus rei historiam lib. 1. Regum cap. 4.
(*c*) Aaron is est, de quo vide cap. 32. Exodi.

Digitized by Google

veritatem demonſtrare. Hic quippe Moyſes vir vere beatus tantum abfuit a rapienda Judæorum præfectura, ut & oblatam recuſaret, & Deum etiam id jubentem mandantemque non audiens, contra ſe irritaret. Quod quidem non ſolum id temporis fecit, verum & poſtmodum, quum jam præfecturam illam adminiſtraret, qua ut defungeretur, lubens e vivis deceſſiſſet: *Interficias me*, inquit, *ſi mecum ita es acturus*. Quid igitur poſteaquam ad aquam peccavit, potuere ne aſſiduæ illæ recuſationes illum tutari, ac Deo perſuadere, ut veniam ei concederet? Quanam alia quæſo de cauſa terra illa promiſſa privatus eſt? Certe non alia, quod quidem omnibus nobis notum eſt, quam ex peccato hujuſmodi, propter quod viro illi admirando haud quaquam licuit rebus iiſdem potiri, quibus ſubditi (*a*) ejus potiti ſunt. Quinimo poſt diuturnum tempus inſumptum, poſt multas afflictiones, poſt immenſum illum errorem, poſt bella, ac trophæa permulta, procul ab ea terra (*b*) deceſſit, cujus gratia tot tantoſque labores ſuſtinuerat: ac qui pelagi mala, atque incommoda graviſſima perpeſſus eſt, portus tamen fructus nullos capere potuit.

VII. Vides ut jam nulla peccatorum excuſatio relicta ſit, non ſolum iis qui rapiunt, ſed ne iis quidem, qui alieno ſtudio huc evehuntur? Nam ubi qui, vel Deo decernente, eligenteque, ſæpenumero honorem ipſum recuſavere, tantas tamen pœnas luerunt, ac nihil quicquam a periculo hujuſmodi eximere potuit, neque Aaron, neque Heli, neque Virum illum perbeatum, ſan-

(*a*) Duo nimirum ex iis, Joſue, & Caleb, qui vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad conſiderandam terram promiſſionis: reliqui enim *mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu Domini*, uti legitur cap. 14. Numerorum.

(*b*) Vidit quidem Moyſes terram promiſſionis, deceſſitque procul ab ipſa, uti videre eſt Deuteronomii cap. 34.

Digitized by Google

ſanctum, Prophetam admirandum, mortalium omnium humaniſſimum, eundemque quaſi amicum aliquem cum Deo colloquentem: nimirum vix nobis, qui ab illius virtute tantum abſumus, ſatis eſſe ad defenſionem poterit, conſcios eſſe nobis ipſis, quod ad honorem hujuſmodi, nullo ipſi ſtudio, nulla ambitione aſpiraverimus. Idque eo etiam magis, quod ex his ipſis electionibus pleraſque humano ſtudio acceptas referre non oportet. Judam (*a*) Deus elegit, eundemque in ſacroſanctum illud cooptavit Collegium, dignitate Apoſtolica una cum aliis ornatum, cui etiam majus quiddam, quam aliis dedit, nempe pecuniarum (*b*) diſpenſationem. Quid tandem? Num poſteaquam duabus illis prærogativis contra quam debuit, uſus eſt, tum eo, quem prædicandum ſuſceperat, prodito, tum pecuniis, quæ quidem traditæ illi fuerant, quo recte eas adminiſtraret, male impenſis, impunitate donatus abiit? Certe hoc potiſſimum nomine gravius ſibi accerſivit ſupplicium: idque perquam merito. Neque enim prærogativis a Deo acceptis ſic abuti decet, ut per eas Deum offendas, quinimo ut magis, ac magis Deo acceptus ſias.

VIII. Ceterum qui hoc nomine quod alios honore aliquo excellat, admiſſorum eorum, quæ pœnam commereantur, venia dignum ſe eſſe cenſet, perinde facit, ac ſi quis ex infidelibus Judæis Chriſtum audiens ſic eloquentem: (*c*) *Niſi veniſſem, eiſque loquutus fuiſſem, peccatum non haberent: & ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: IpſumServatorem optime de humano genere meritum his verbis increpet, inſimuletque: Tu vero cur veniſti, ac loquutus es? Cur & ſigna feciſti, ut & gravioribus in nos ſuppliciis animadverteres? At vero dementiæ,

(*a*) Lucæ cap. 6. (*b*) Joannis 12. [*c*] Joannis 15.

mentiæ, ac ſummæ adeo inſaniæ verba hæc: neque enim medicus ut te magis condemnaret, curatum acceſſit, ſed ut prorſus a morbo liberaret. Te vero ultro ipſe ab illius manibus ſummoviſti, igitur & gravius ſupplicium ſuſtineto. Nam quemadmodum ſi curationi paruiſſet, futurum erat, ut & a priſtinis morbis peccatiſque liberareris; ſic quandoquidem medicum, quem præſentem habuiſti, averſatus es, jam non peccata illa abſtergere potes. Quod autem id nequaquam poſſis, propterea horum certe pœnas dabis. Idque præſertim quod medicus, quod ad te ſpectat, ſtudium, operamque ſuam perdiderit: quibus de cauſis efficitur, ut non pares communeſque pœnæ eæ ſint, quas ante dignitatem a Deo acceptam damus, cum iis, quas dignitate jam accepta (*a*) luere cogimur. Hic enim longe gravius quam illic plectimur.

CAP.

(*a*) Quam arduum & difficile, atque etiam periculi plenum ſit munus Epiſcoporum, etſi ex dictis hucuſque a Chryſoſtomo ſatis liqueat, clarius tamen oſtendi poteſt ex divinis Scripturis. Nam libro Sapientiæ cap. 6. ſcriptum legimus: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Cui concinit illud Chriſti apud Lucam 12. *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* S. Chryſoſtomus Homilia 3. in Acta Apoſtolorum non dubitat ſcribere: *Non arbitror, inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant, ſed multo plures qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res illa excelſum requirit animum: multas enim habet cauſas, quæ depellant ipſum a ſuis moribus, & innumeris oculis illi opus undique.* Hinc non mirum, ſi Viri ſancti permulti Epiſcopatum oblatum recuſarunt, alii quoque pene innumeri Epiſcopatui, quem acceperant, renunciarunt; inter quos etiam recenſetur religioſiſſimus Julius Sanſedonius primum noſtræ Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, tum Epiſcopus Craſſetanus.

Digitized by Google

CAP. II.

Episcopatus a debilibus fugiendus, a Viris fortibus pro dignitate administrandus I. Artem nemo exercet quam ignorat, & animarum curæ temere se quivis ingerit II. Manus cito nemini imponenda III. Electiones malæ quantum ipsos Electores suppliciis involvant IV. Nulla eorum qui electi sunt excusatio, si se ad Episcopatum inhabiles noscant, etiam si vi pertrahantur V. & VI. Non sufficit ad securitatem aut impunitatem non ambivisse præsulatum VII.

I. Etenim quem beneficia accepta meliorem non reddunt, is certe etiam gravius supplicium commeretur. Itaque quum defensio hujusmodi jam non satis firma esse videatur, ac non solum eos non tuetur, qui ad eam confugiunt, sed magis etiam prodat, nimirum aliud nobis præsidium inveniendum, quo nos tueamur ipsi.

BASILIUS. Quale nam, quæso, futurum hoc est præsidium, Basilius inquit: quandoquidem apud me jam esse non possum, tantum mihi terroris, atque formidinis tua isthæc verba incusserunt?

CHRYSOSTOMUS. Ne te, inquam, obsecro, atque obtestor, ne te ipse eo usque dejicias. Est enim, est certe præsidium, si qui scilicet infirmi sumus, eo nunquam descendamus. Rursum siqui firmi, ac valentes estis, salutis vestræ opes non alibi, sitas habeatis post gratiam a Deo acceptam, quam ut nihil ipsi committatis, quod indignum esse possit tum munere, tum Deo muneris ipsius largitore. Maxime autem puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio, atque ambitione adeptum, vel per ignaviam, vel per malitiam, vel per imperitiam, re ipsa non recte utuntur.

Neque

Neque vero propterea paratam veniam esse dixerim iis, qui nulla sua ambitione dignitatem eam obtinuerint. Nam ne ipsis quidem quisquam relictus est excusationis defensionisque locus. Decere enim arbitror, vel si te eo sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare, verum animi tui dotes prius examinare, viresque tuas omnes exacte perscrutari, atque ita demum (*a*) cogentibus cedere.

II. Jam domum se aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non sit: neque ægrotantia contingere corpora quisquam aggrediatur, qui ipse medicinam non didicerit: quinimo vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neque enim suæ illum pudebit ignorantiæ. At vero cui tam multarum animarum cura credenda sit, is non prius se ipsum examinabit, quin potius, vel omnium imperitissimus munus ipsum suscipiet, posteaquam vel ille jubet, vel ille cogit, atque adeo, ut ne illum offendat? Et quonam ille pacto se se una cum illis in præsentaneum non conjicit periculum? Nam cum illi liceat, ut se ipse per se servet, nunc & alios secum it perditum. Unde enim speranda salus? Unde venia expectanda? Quinam tum nobis deprecatores existent? Illi ipsi fortasse, qui nunc nos cogunt, & ad necessitatem adigunt? Hosce vero ipsos quis per id tempus servaturus est,

(*a*) Quamquam ubi repuguatum est aliquandiu, acquiescendum sit susceptioni Episcopatus, & quidem ex complurium Sanctorum Patrum sententia: docent ii nihilominus, nulli cedendum esse vi & imperio, si quis sibi notoriæ conscius sit indignitatis, & habilitatis prorsus nullius, ad tantum onus gestandum. Ea sane, ut alios omittam, fuit Juliani Pomerii sententia, qui lib. 3. de vita contemplativa, cap. 28. ita scripsit: *Sed quoniam sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ norunt; tales juste se etiam quæsiti non offerunt; ne videantur non Ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores ambire.*

Digitized by Google

est, siquidem ipsi deprecatoribus indigent, ut ignis æterni supplicium devitent?

III. Porro quod hoc dicam, non quod te terream, sed ut rem ita, ut vere se habet, edoceam, auscultata, quid beatus Paulus ad Timotheum dilectum, ac vere germanum filium scribat: (a) *Manus cito ne cui imponas, neque communices cum peccatis alienis*. Intelligis ne, quanto non crimine modo, sed & supplicio, quod quidem in nobis fuit, eos liberavimus, qui nos eo honoris perducturi fuerant? Nam sicuti iis qui ad id dignitatis electi ab aliis fuerint, non satis est defensionem hanc afferre: voluntarius ipse ad hujusmodi munus administrandum non accessi, atque ideo sane non aufugi, quod non præsciissem fore ut eligerer. Sic neque eos, qui ordinarint, sublevare quicquam poterit, si dixerint ignorasse se eum quem ordinarunt. Verum vel hoc ipso crimen gravius efficitur, quod quem ignoravere produxerint: ac certe quæ illis videtur excusatio, accusationem auget. Nam quî id absurdum non sit, eos qui mancipium aliquod empturiunt, id tum medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare, tum vicinos interrogare,

(a) Extat hoc celeberrimum Pauli monitum in Epistola 1. ad Timotheum, cap. 5. cujus verba ita exponit idem Chrysostomus Homilia 16. in eum locum: *Quid sibi vult cito? Non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque enim ea res periculo caret. Eorum enim quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis*: Et S. Hieronymus lib. 16. Commentariorum in cap. 58. Isaiæ ita ait: *Paulus scribit ad Timotheum*: manus cito nemini imposueris. *Non est enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in Lege doctissimis, sed affectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris; quodque his dedecorosius, mulierculârum precibus &c.* Eadem & longe plura alii Patres docent.

Digitized by Google

gare, ac ne tum quidem adhuc confidere, quinimo & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint: eos vero qui quempiam ad episcopale munus hujusmodi cooptaturi sunt, si cui placitum sit ad aliorum vel gratiam, vel invidiam testimonium suum accommodare, & ita eum temere æque ut casus tulerit adlegere, nulla prorsus alia discussione facta? Quis igitur nos tum deposcet, atque a noxa eximet, quum præsertim qui patrocinari nobis debent, patronis ipsi indigeant.

IV. Proinde illum oportet qui aliquem ordinaturus sit, rem diligenter admodum expendere, sed multo etiam diligentius eum, qui (*a*) ordinandus proponitur. Tametsi enim illi peccatorum suorum supplicium commune est cum iis, a quibus ordinatus est, tamen ne ipse quidem hac ratione supplicium evadit: quod quidem & gravius feret, si electores rem confecerint morbo aliquo humano victi, reclamante etiam ipsorum conscientia, neque sequuti, quod illa dictabat honestius esse. Nam si in ejusmodi delicto deprehensi illi fuerint, & quem indignum esse certo scirent, per causam tamen aliquam ordinaverint, utrique illi pari digni sunt supplicio. Fortasse autem & majus supplicium illum manet, qui sponte adlegerit minime idoneum. Qui enim potestatem facit volenti Ecclesiam corrumpere, is certe author fuerit eorum omnium, quæ perdita illius audacia turbaverit. Qui si nulli rei earum quas dixi obnoxius fuerit, sibi vero a vulgi opinione fucum fuisse factum dicat, ne sic quidem impune tulerit. At paulo leviores pœnas dabit quam daturus

(*a*) Ut sacros suscepturi ordines melius se præparent, magnaque discretione, præmitti solent sacræ ordinationi exercitia spiritualia; in quibus serio perpendant, quantum onus sunt subituri, si caste deinde vivere valeant, & seculo renunciantes, uni Deo servire.

Digitized by Google

daturus ſit, qui ab ipſo ordinatus eſt. Quid ita? Nempe quod veriſimile videri poteſt, eos, qui elegere, a falſa aliqua opinione deceptos ad danda ſuffragia deſcendiſſe. Qui vero electus eſt, dicere utique non queat, ſe ſibi, ut & aliis fuiſſe incognitum. Igitur ſicut is graviori puniendus eſt ſupplicio, quam illi, a quibus aſcitus, productuſque eſt, ita debet ſui ipſe periculum accuratius, quam illi facere: ac ſi quidem eum illi ignorantes traxerint, illis occurrere, docereque diligenter cauſas eas, per quas tum illi ab errore deſiſtant, tum ſe ipſe functione illa dignum, quum oſtenderit, tantarum rerum molem effugiat.

V. Quamobrem enim fit, ut de militia, de mercatura, de agricultura, ceterarumque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio ineunda, quum ſit, neque agricola navigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam ſuſcipiat, etiamſi mortem illis millies commineris. Nempe propterea, quod illorum unuſquiſque proſpicit fore, ut periculum ſibi ab imperitia artis incognitæ immineat. Itane ergo, ubi modicis in rebus periclitamur, tanta ipſi utemur providentia, neque cogentium nos violentiæ parendum eſſe putabimus, ubi vero æternum illos manet ſupplicium, qui Epiſcopatus adminiſtrationem juſte præſtare neſcierint, temere, atque, ut caſus tulerit, in tantum nos conjiciemus periculum, alienæ violentiæ cauſam opponentes? Atqui rationem hujuſmodi admiſſurus haudquaquam eſt, qui cauſæ iſtius noſtræ judicem aget. Decebat enim multo majorem cautionem, ac proviſionem, ſpiritualium rerum, quam carnalium præſtare. Hic vero ne parem quidem nos exhibere conſtat.

VI. Etenim quæro ex te, ſi quempiam ipſi ſuſpicantes fabrum eſſe, qui non ſit, ad opus vocemus,

ſequaturque ipſe, deinde manus admovens materiæ ad ædificium paratæ, ligna, itemque & lapides diſſipet, opus autem ſic coagmentet, domum ſic ædificet, ut ſtatim collapſura ea ſit: numquid ille ſe ſe abunde hac defenſione tutaturus eſt, ſi dixerit, ab aliis ſe coactum, non etiam ultro ad ædificandum acceſſiſſe? Certe nequaquam, idque juſte, ac merito. Oportebat enim, vel aliis ad id vocantibus, pedem retrahere, ac tergiverſari. Itane vero qui ligna, & lapides diſſipat faber, huic nullus prorſus ſuffugii locus, quo minus pœnas pendat: qui vero animas negligenter ædificans perdiderit, hiccine alienam vim, abundans ſibi ſuffugium, præſidiumque putabit? & quo id pacto non valde ineptum, atque abſurdum? Nondum enim adjicio, nolentem a nemine compelli poſſe, ſed & ipſum volo vim fuiſſe immodicam perpeſſum, artibuſque variis circumſeptum, ut in retia caderet. Hoccine igitur illum a ſupplicio eximet? Ne obſecro, ne eouſque nobis imponamus, neque ſimulemus, ignorare nos ea, quæ vel admodum pueris nota eſſe poſſunt.

VII. Revera enim quum rationis reddendæ tempus aderit, ignorantiæ ſimulatio hæc nihil nobis allatura eſt præſidii. Principatum hujuſmodi nihil ipſe ambiviſti, imbecillitatis tuæ conſcius? Probe id ac recte. Oportebat ergo cum eodem hoc conſilio vocantibus etiam aliis tergiverſari. An ne quum te nullus vocaret, imbecillis tu, ac minime idoneus eras: ubi primum vero comperti ſunt, qui honorem ad te deferrent, derepente in valentem, atque idoneum evaſiſti. Certe hujuſmodi res ridicula prorſus, ac nugatoria eſt, eademque extremo etiam ſupplicio digna. Nam hac una de cauſa Dominus admonet, ne qui turrim ædificaturus eſt, fundamentum prius jaciat,

eiat, quam ſuas ipſius vires expendat: ne qui illac tranſituri ſunt, iis infiniti ludibrii, (a) ac riſus anſam in ſe ipſe præbeat. Atqui illius mulcta ſe ſe intra deriſum continet, quum hic ſupplicium ſit ignis æternus, vermis nunquam emoriturus, dentium ſtridor, extremæ tenebræ, diſſecari, atque in hypocritarum ordinem cogi: quorum tamen omnium nihil ii expendere volunt, qui factum noſtrum accuſant. Id quod ſi facerent, profecto ceſſaturos tandem putaverim ab eo accuſando, qui ſe temere, ac nulla cauſa perire noluerit.

CAP. III.

Quam difficile curare corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia I. Curatio animarum laborioſior quam corporum, animiſque curandis unicum inſtrumentum doctrina, & prædicatio Evangelii II. Cum gratia miraculorum etiam neceſſe eſt eſſe eloquentem III. Ad quorumvis concertationes paratum Epiſcopum eſſe oportet IV. Sacerdotum vigilantia eſt murus domus Dei, eiſque contra omnes hoſtes, & hæreſes vigilandum V. Valentinianorum, Marcioniſtarum, & aliorum hæreticorum hæreſis VI. & VII. Curioſitatis vitium noſcendi res inutiles, & non neceſſarias reprimendum VIII. Doctrinæ Verbi Dei neceſſitas IX.

I. NObis quidem haudquaquam nunc res eſt de frumento, hordeove diſpenſando, ac demetiendo,

[a] Lucæ cap. 14. ita ait Dominus: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habeat ad perficiendum: ne poſtea quam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?*

Digitized by Google

tiendo, de bobus, ovibusque pascendis, aut aliis id genus rebus distrahendis, sed de ipsomet corpore Jesu curando. Christi enim Ecclesia ex beati Pauli (a) verbis Christi corpus est. Ac certe eum convenit, cui creditum corpus id fuerit, ipsum illud tum ad multam honestatem, tum ad pulchritudinem incredibilem perpolire, undique circumspicientem necubi macula, aut ruga, aut nævus, vitiumve aliquod hujusmodi pulchritudinem, honestatemque illam labefactet. Et quidnam illum tandem aliud præstare oportet, quam ut capite illo immortali, ac beato, quod ipsi superpositum est corpus ipsum humanarum virium captu dignum efficiat? Nam si qui suum corpus ad athleticam habitudinem cura adhibita componunt, iis necessarius est usus, & medicorum, & pædotribarum, & temperatæ dietæ, & exercitationis assiduæ, & infinitæ adeo observationis: etenim minimus quisque rerum illarum contemptus labefactare omnia, atque evertere potest: quibus forte obtigit Christi corpus hoc quod dico curandum, cujus quidem exercitatio non corpora ipsa, sed invisibiles potentias spectat, ii quibusnam artibus conservare illud sincerum, atque incolume poterunt, nisi omnifariam animæ curationem congruam, convenientem, atque humana virtute longe superiorem calluerint?

II. An ignoras corpus id quod dico pluribus tum morbis tum insidiis obnoxium esse, quam caro nostra hæc obnoxia sit? itemque & celerius corrumpi, & ægrius sanari? Ac certe humana corpora curantibus diversa suppetunt medicamenta: itemque & instrumentorum apparatus varii, & cibi ægrotantibus congrui: plerumque autem & sola aeris natura satis fuerit ad sanitatem

(a) Vide Pauli Epistolam ad Ephesios cap. 5.

Digitized by Google

tatem laboranti reſtituendam : alias etiam ſomnus, qui opportune obrepſerit, medicum ipſum labore omni ſublevat, liberatque. At vero hic nihil hujuſmodi comminiſci licet, ſed una quædam poſt operum præſtationem ars, ac curationis via tenenda, ſequendaque eſt: nempe per ſermonem Evangelicum (*a*) doctrina. Siquidem hoc demum inſtrumentum eſt, hoc cibus, hoc aeris temperamentum optimum, hoc medicamenti inſtar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac ſi vel urere, vel ſecare opus fuerit, hoc ipſo uti neceſſe eſt: atque hoc ſi nihil profuerit, reliqua omnia evanida pereant oportet. Hoc & jacentem animam ſuſcitamus, & tumeſcentem conpeſcimus: hoc & ſupervacanea amputamus, & quæ deſunt, ſupplemus, ceteraque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem. Ac ſane ut vitam quam optime conſtituas, alterius hominis vita te ad idem exemplum æmulationemque parem pertrahere poſſit. Quum vero humanus animus decretorum minime verorum, ſententiarumque a fide abhorrentium morbis laboraverit, hic demum Evangelici ſermonis uſus magnopere neceſſarius, non ſolum, ut qui tibi domeſtici ſunt, robores, atque confirmes, verum etiam ut cum externis bellum geras, ac manus conſeras.

III. Nam ſiquis armatus foret tum ſpiritus gladio, tum fidei ſcuto eouſque ut miracula edere, & per miraculorum editionem, impudentium, maledicorumque

(*a*) Quandoquidem doctrina, & prædicatio Evangelii unicum curandis animabus inſtrumentum eſt, quis non videat, quantum in hoc non pauci Epiſcopi peccent, qui verbum Dei populis ſuis prædicare negligunt; præſertim cum prædicandi onus jure non modo Eccleſiaſtico, ſed & præcepto divino, ut ait Tridentinum Concilium ſeſſione 25. *de reformatione*, ipſis incumbat. Vide noſtrum 1. Tomum in Romanum Pontificale ad Titulum 13. *de conſecratione electi in Epiſcopum*, ubi fuſe de ea re diſputavimus.

Digitized by Google

rumque hominum ora obturare posset, huic certe sermonis præsidiis nihil opus fuerit: quin potius nedum quidem sermonis usus inutilis est, sed admodum necessarius; quando & beatus Paulus ab eo non abhorruit, tametsi a signis editis, ubique in admiratione habitus. Et alius quidem ex Apostolis (*a*) unus hortatur, ut sermonis vim studiose amplectamur, inquiens: *Parati semper sitis ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamini de ea, quæ in vobis est, spe*. Atque adeo universi Apostoli, quum una essent, nullo alio nomine Stephano, (*b*) ejusque collegis viduas regendas commisere, nisi ut in sermonis ministerio versarentur. Verumtamen si contigerit, nos aliquid posse in signis per nos edendis, sermonis hujus studio non æque erit nobis invigilandum. Sin ne ullum quidem virtutis illius vestigium in nobis relictum est, ac multi undecumque assidue imminent adversarii: supereſt necessario, ut nos hoc ipso sermone armemus, muniamusque; tum ut ne adversatiorum telis feriamur, tum ut illos potius feriamus.

IV. Quapropter ingens adhibere studium oportet, ut Christi sermo in nobis largiter inhabitet. Neque enim nobis pugnæ species una parata est, sed bellum nobis varium, ac multiplex propositum, variis, multiplicibusque adversariis constans, atque instructum. Qui ipsi neque iisdem armis utuntur omnes, neque uno eodemque nos artificio adoriri meditantur, eumque oportet, qui adversus omnes illos prælio decertaturus sit, omnium artes notas habere, eumdemque,

(*a*) Est is Apostolorum Princeps S. Petrus, qui ea verba in Epistola sua prima cap. 3. scripsit.

(*b*) Lege Acta Apostolorum cap. 6. ubi legitur, quod, ut Apostoli instarent ipsi orationi, & ministerio verbi Dei, sine ulla temporalium cura, quæ eos a sancto exercitio impediret, electi fuerunt septem diaconi, quorum primus est S. Stephanus.

Digitized by Google

demque, & ſagittarium, & funditorem, & centurionem, & manipuli ductorem, & militem, & ducem, & peditem, & equitem, & navalis, & muralis pugnæ peritum eſſe. Etenim in militaribus præliis quod quiſque opus peragendum ſuſceperit, hoc adorientes hoſtes defendit: hic vero haudquaquam ſic ſe res habet. Niſi enim qui victoriam reportaturus eſt, dimicandi artes ad unam omnes ſigillatim percalluerit, novit diabolus vel parte una aliqua, ſi ea forte neglecta fuerit, piratis ſuis, prædonibuſque introductis, oves diripere. At non ita uſuvenit, quum paſtorem ille ſenſerit omni eſſe ſcientia præditum, atque inſtructum, inſidiarumque omnium ſuarum probe gnarum.

V. Qua de cauſa omnibus nos ex partibus munitiſſimos eſſe oportet. Nam & civitas quandiu muro undique cincta eſt, eos irridet, a quibus obſidetur, præſidio illo tutiſſima: ubi vero quis murum diruerit ad portulæ tantum magnitudinem, tum nihil proderit illi ſepti præſidium, etiamſi firmum alioqui, ac tutum illud maneat. Haud aliter igitur & Dei civitas, dum ipſam undecumque pro muro paſtoris ſolertia, atque prudentia cingit, adverſariis ſuæ omnes machinæ, arteſque in opprobrium riſumque cedunt, evaduntque qui eam incolunt, indemnes, atque illæſi: ſi autem eam parte aliqua demoliri quis poſſit, ut univerſam non diruerit, a parte totum, ut ſic dicam, labefactatur. Quid enim profuerit adverſus gentiles viriliter aliquem dimicare, ſi illum populentur Judæi? Quid item de ambobus vis victoriam reportare, ſi Manichæi (*a*) illum de-

(*a*) Manichæi ab authore ſuo Mane, vel Manin viro natione Perſa, antea ſervo, eo nomine appellati ſunt. Dici nequit quot errores ſparſerint; *Nam*, ut ait S. Leo ſermone 5. de jejunio decimi menſis, *cum Diabolus in cunctis perverſitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxit inſania &c.*

prædentur ? Atque adeo vel his ſuperatis, ſiqui dicunt (*a*) fato omnia regi, oves intus jugulent ? Et quid hic opus eſt omnes diaboli hæreſes, ſectaſque connumerare ? Certe niſi omnes eas paſtor recte noverit propulſare, poterit lupus vel per unam ex eis tantum, bonam ovium partem devorare.

VI. Jam in bellis militaribus ab iis qui ſtant, ac depugnant, fore tum victoriam, tum cladem, expectandum ſemper eſt : hic vero res longe in contrarium cedit. Perſæpe enim uſuvenit, ut pugna adverſus alios cœpta, ad eos qui ne pugnæ quidem initio congreſſi fuerint, quique nihil omnino pulveris bellici hauſerint, quieſcentes, ſedenteſque, victoriam deferat, tum ut qui in iis non magnopere expertus fuerit, proprio ipſe gladio confoſſus, & amicis, & hoſtibus ludibrio ſit. Verbi gratia (conabor enim tibi id exemplo planum facere quod dico) legem, quam Moyſes a Deo accepit, qui (*b*) Valentini, ac (*c*) Marcionis

(*a*) Unus is fuit ex innumeris pene erroribus Manichæorum, ut teſtatur Socrates lib. 1. *hiſtoriæ*, cap. 22.

(*b*) Antonino Pio Imperatore anno circiter 145. prodiiſſe novum hunc hæreſiarcham, Tertullianus, Irenæus, Theodoretus, & alii æque omnes affirmant : quem & fuiſſe philoſophum ſecta Platonicum, ingenio potentem, & eloquio, lapſum autem in hæreſim, quod in petitione Epiſcopatus, ei prælatus eſſet alius ex martyrii prærogativa, idem Tertullianus ſcribit, *De præſcriptionibus* cap. 30. & contra Valentinum cap. 4.

(*c*) Marcio, unde Marcionitæ, natione Ponticus, patria Synopenſis, de Stoicorum ſecta progreſſus, qui ob corruptam virginem de Eccleſia per patrem Epiſcopum ejectus, ut ſuæ conſuleret famæ, & venerandi genitoris ſui fugeret iras, Romam venit, ubi cum in communionem Eccleſiæ recipi minime potuiſſet, ad Cerdonianam tranſiit hæreſim, factus Cerdonis diſcipulus novoſque errores excogitavit, quos ut facilius inſinuaret, ſuaderetque, varia corroſit, ſeu corrupit adverſantia ſcripturæ loca ; unde eſt deinceps *mus ponticus* appellatus ; a ſancto autem Polycarpo *primogenitus diaboli*.

Digitized by Google

nis insanum dogma tamquam per manus traditum accepere, atque adeo quicumque eadem cum eis sentiunt, de sacrorum scriptorum catalago delent. Rursus illa eadem Judæis tam sacrosancta est, ut contendant, tempore etiam id jam vetante, nihil in ea esse quod observari non debeat, præter divinum etiam placitum. At Dei Ecclesia utrorumque intemperantiam vitans mediam viam sequuta est, quæ neque censet collum illius jugo submittendum, neque patitur, ut illam calumnieris, sed vel exoletam laudat, quod ea scilicet ad tempus usum atque utilitatem peperit. Oportere igitur puto, eum, qui adversus utroslibet depugnaturus sit, modum hujusmodi adhibere. Nam si Judæos docere volens, intempestive nunc veteris legis cæremoniis impediri, acriter increpitare, atque incusare illam cœperit, nimirum hæreticis oblatrare volentibus ansam non mediocrem dederit: qui si hujusmodi hæreticorum ora obturare volens, veterem legem laudibus extulerit immodicis, eam ipsam tamquam hodie quoque necessariam commendans, fiet ut Judæis ora laxet.

VII. Rursus qui (*e*) Sabellii insaniam insaniunt, ac quos

(*e*) Ex omnibus Noeti discipulis, qui impietate reliquos antecelluit, Sabellius fuit, ex Prolomaide Lybiæ oriundus, qui factus potentissimus impii dogmatis propugnator, negavit Personarum in Trinitate distinctionem, dicens ea tantum esse nomina, ad diversos effectus divinitatis insinuandos composita: unde cum unam tantum personam assereret, illa necessario deducebatur consequentia, ut sicut Filius, ita & Pater, & Spiritus Sanctus, æque dicerentur incarnati, & passi: appeilati icciroo etiam *Patripassiani*. Vide Baronium ad annum Christi 260. Porro Noetus præceptor Sabellii patria fuit Smyrnensis, ut vult Theodoretus, sive Ephesinus, ut S. Epiphanius tradit hæresi 57. qui addit, eum in tantum fastum elatum esse, ut auderet se Moysem, & fratrem suum Aaron asserere, quamquàm Philastrius scribit, Noeti fratrem, non Aaron, sed Eliam fuisse appellatum.

Digitized by Google

ac quos Arii (*a*) rabies invaſit, hi quod modum minime ſervarint, a ſana utrique fide prolapſi ſunt: qui iidem Chriſtianum etiam nomen obtinent. At ſi dogmata examines, alteros invenies Judæis nihilo meliores ſanioreſve, niſi quatenus appellatione tantum inter ſe differunt: alteros maxime convenire cum Pauli (*b*) Samoſatenſis hæreſi, ceterum utroſque longe a veritatis tramite aberrare. Magnum igitur hic periculum, arctaque, & anguſta via, præcipitiis utrinque intercepta: verendumque maxime, ne alterum dum ferire vis, ab altero vulnus accipias. Etenim ſi quis Deitatem unam poſuerit, hic Sabellius continue debacchabitur, vocemque hanc ad ſuam ipſius inſaniam impietatemque pertracturus eſt. Sin vero diviſione

(*a*) Quis & qualis fuerit Arius, abunde diximus noſtro 1. Tomo Conciliorum in Hiſtoria Concilii Niceni. Erat Presbyter Alexandrinus, vir natione Lybicus, & dialecticæ peritia clarus, Theologus autem in Chriſti divinitatem blaſphemus, qui, Silveſtro Romano Pontifice, anno circiter 316. vel ut alii volunt 320. alteram a Sabelliana non minus nefandam induxit hæreſim, aſſerens Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, & naturæ, ac proinde Chriſtum, non Deum, ſed puram creaturam eſſe, Patreque minorem:

(*b*) Fuit is Epiſcopus Antiochenus, erroreſque ſuos mutuatus videtur aliqua ex parte a Sabellio, dum nullam admittens in Divinitate ſubſtantia perſonarum diſtinctionem, totam Eccleſiæ de Sanctiſſima Trinitate doctrinam cum Sabellio, atque Judæis penitus abſtulit: verum a Sabellio in eo diſſenſit, quod Sabellius cum unam tantum affirmaret divinam eſſe perſonam, ex neceſſaria conſequentia æque introduceret Patris ſimul & Spiritus Sancti cum Filio incarnationem, ac paſſionem: Paulus vero omnem prorſus auferens divinæ naturæ cum humana conjunctionem, Chriſtum hominem tantum, ſed juſtitia præditum fuiſſe diceret. Damnatus iccirco in Concilio Antiocheno bis celebrato, recurrens ad Aurelianum Imperatorem, ejuſdem juſſu pellitur e domo Epiſcopali, teſte Euſebio lib. 7. *Hiſtoriæ*, cap. 24. Porro is fuit omnium primus qui viam aperuit appellandi ab Epiſcopis ad Imperatorem.

Digitized by Google

sione quis facta, alium Patrem, alium Filium, alium esse Spiritum Sanctum dixerit; hic instabit Arius in diversitatem essentiæ, personarum differentiam trahens. Fugienda vero, aversandaque est tum illius impia confusio, tum hujus insana divisio, ita ut Patris, Filii, ac Spiritus Sancti Deitatem unam fateamur, personas quas vocant hypostases tres addentes. Hac enim ratione utrorumque incursiones quasi vallo objecto impedire poterimus. Sunt item & alii congressus insultusque permulti, quos hic colligere possemus, adversum quos nisi diligenter, fortique animo decertaveris, fiet, ut pugna decedas, vulneribus confossus innumeris.

VIII. Jam quis numerare queat domesticorum nugas, atque contentiones? quæ ipsæ externis insultibus inferiores quum non sint, majorem etiam ei, qui docere illos velit, sudorem pariunt. Sunt enim alii, quibus præ curiositatis studio temere ac nullo cum consilio sollicite indagare, ac scrutari ea placet, quæ neque facile disci possunt, neque iis utilia esse, qui ita edocti fuerint. Alii rursus judiciorum divinorum rationes ab eo postulant, conati abyssum illam magnam dimetiri: *Judicia enim tua*, inquit ille, (a) *abyssus multa*. Item fidei, ac vitæ institutionis paucos admodum invenias studiosos; plures autem curiose ea indagantes, exquirentesque quæ nequaquam invenire queas, quorum item exquisitio Deum etiam irritat. Nam quoties quæ ille noluit nos scire, edi scere conamur, ea ipsi neque sciemus (qui enim Deo id nolente?) & periculum dumtaxat ex ipsa indagatione ad extremum reportabimus. Atque hæc quum ita sint, tamen ubi quis auctoritate interposita, hujusmodi curiosorum hominum ora obstruxerit, is sibi tum

(a) Regius Vates in psalmo 35.

tum arrogantiæ, tum inſcitiæ notam inurit. Qua de cauſa Antiſtitem magnam huc adhibere prudentiam oportet, ut tum illos ab hujuſmodi abſurdis quæſtionibus abducat, tum eas, quas dixi, criminationes a ſe amoliatur.

IX. Ceterum adverſus hæc omnia nullum aliud quam Evangelici ſermonis ſuppetit auxilium. Qua facultate ſi Antiſtes ſpoliatus fuerit, fiet, ut eorum animæ, qui illi ſubditi fuerint, de iis loquor, qui infirmiores curioſioreſque ſunt, nihilo melius ſe ſe habeant, quam naves eæ, quas aſſidua maris tempeſtas exagitat. Quamobrem Epiſcopum (*a*) oportet nihil non agere, ut ſibi facultatem hanc comparet.

CAP. IV.

Quanta in S. Paulo dicendi facultas, & miraculorum virtus I. Pauli virtutes, labores innumeri, & certamina, ingenſque illius zelus, & amor erga proximos II. & III. Idiotam Paulus cur ſe dixerit IV. Paulus non miraculis ſolum, ſed & vi docendi, ac dicendi claruit V. Paulus etiam cum miraculis neglexit eloquentiam VI. Commendatio & utilitas Epiſtolarum Pauli VII.

I. ATque hic BASILIUS, Quid igitur, inquit, Paulus ille facultatis hujus ſibi parandæ ſtudioſus nequaquam fuit? qui ne eloquentiæ quidem inopiam diſſimulat, ſed aperte idiotam ſe ſe eſſe profitetur:

(*a*) Epiſcopis etiam hactenus inexpertis, etiam doctorum concionatorum copia abundantibus, curandum eſt, ut ipſimet præcipuam apoſtolici ſui muneris partem, qualis eſt predicatio verbi Dei, impleant, exemplo & teſtimonio S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis, qui licet inopinus, invitus, imparatuſque ad Epiſcopatum raptus fuiſſet, nihilominus ingenue fatetur lib. officiorum cap. 1, non poſſe ſe muneri deeſſe docendi.

Digitized by Google

fitetur: idque præſertim dum ad Corinthios (*a*) ſcribit, viros ab eloquentia, in qua magnopere ſibi placerent, claros atque illuſtres.

CHRYSOSTOMUS. Hoc ipſum, inquam, hoc ipſum certe eſt, quod pleroſque perdidit, remiſſioreſque ad veræ doctrinæ ſtudium reddidit. Etenim quum non poſſent illi, apoſtolicæ mentis altitudinem exacte rimari, neque verborum ſenſum capere, univerſæ ætatis tempus conſumpſere in ſomnolentia, atque oſcitantia, inſcitiam eam amplexati, non quam ſibi Paulus tribuit, verum a qua tanto ille abfuit intervallo, quanto non alius quiſquam eorum omnium hominum, qui ſub cælo hoc vivunt, abeſſe poteſt. Ceterum propoſitum hoc aliquantiſper a nobis intermittatur. Interim autem illud dicam. Sit nobis Paulus eatenus idiota, quatenus illi iidem eum faciunt. Quid tum, ſi illum contuleris cum noſtræ ætatis hominibus? Etenim facultatem ille obtinuit, orationis facultate multo præſtantiorem, ac longe potentiorem. Oſtendens enim ſe ſe tantum, ac tacens, dæmonibus formidabilis erat. Noſtri omnes ſi unum in locum ſimul convenerint cum infinitis tum precibus, tum lacrymis, numquam certe tantum poſſint, quantum olim Pauli (*b*) ſemicinctia potuere. Paulus quidem precibus mortuos ſuſcitavit. Præterea alia miracula edidit tam multa, ut apud externos pro Deo (*c*) haberetur; atque antequam vitam hanc cum morte com-

(*a*) Lege initium capitis 9. Epiſtolæ 2. ad Corinthios, ubi præ ſua humilitate inſipientem ſe vocat, & imperitum ſermone.

(*b*) Quanta virtus miraculorum Pauli, addiſcere licet ex iis, quæ de ipſo in Actis Apoſtolorum cap. 19. leguntur: *Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: itaut ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.*

(*c*) Actorum cap. 14.

commutaſſet, dignus habitus eſt, qui uſque ad tertium (*a*) cælum raperetur, verborumque particeps fieret, quæ humanam naturam audire nequaquam fas eſt. At qui hodie vivunt homines, ſed nihil ipſe eloqui poſſum quod moleſtum invidioſumque ſit. Neque enim hoc dico, quod memoriæ noſtræ hominibus inſultem, ſed quod admirer, quo pacto non perhorreſcant ſe ipſos tanto viro conferentes.

II. Nam ſi miraculis omiſſis ad illius vitam deſcenderimus, ejuſdemque mores, ac ſtudium vere Angelicum excuſſerimus, per hoc demum Chriſti Athletam magis quam per miracula victoriam reportare videbis. Quorſum enim dicere attinet (*b*) zelum, manſuetudinem, continua pericula, frequentes curas, perpetuas animi ſollicitudines Eccleſiarum cauſa ſuſceptas, commiſerationem, affectumque in languentes, ægrotanteſque, afflictiones permultas, alias, atque alias perſecutiones, quotidianas mortes? Quis enim locus orbis univerſi, quæ continens, quod mare juſti illius certamina ignoravit? Illum vel deſerta, atque inhoſpita tellus cognovit, atque ad periclitantem identidem hoſpitio excepit. Nam & inſidiarum genera omnia pertulit, & nullum non victoriæ modum expertus eſt, ut in decertando indefeſſus, ita in reportanda victoriæ corona continuus.

III. Sed enim neſcio quo pacto eo ipſe perductus ſum, ut tanti viri laudes oratione mea levarem magis quam exornarem. Eximia enim illius facinora, ut omnium orationem excedunt, ita noſtram tantum ſuperant, quantum ab iis relinquimur, qui dicendi facultate

(*a*) 2. Ad Corinthios 12.

(*b*) Vide Epiſtolam 2. ad Corinthios cap. 11. ubi ipſe Paulus adverſa quæ perpeſſus eſt, prædicando Chriſti fidem, & labores ac ſolicitudines recenſet.

Digitized by Google

cultate inprimis excellunt. At qui ne sic quidem, (neque enim eventu, sed animo potius consilium nostrum ille metitur) supersedebo, donec elocutus id fuero, quod tanto est iis, quæ dixi præstantius, quanto ille mortalibus omnibus excellentior. Hoc igitur quid est? Certe post tam multa egregia facinora, post innumeras coronas in gehennam detrudi, & æterno tradi supplicio optavit, ut Judæos, qui ipsum crebro tum lapidarant, tum etiam, quantum in ipsis erat, interfecerant, servaret, (a) & Christo lucrifaceret. Quis mortalium sic Christum desideravit? si modo desiderium hoc appellandum est, ac non potius aliud quiddam desiderio majus? Etiamne igitur nos ipsos cum illo conferemus? Idque post tantam gratiam, quam partim cælitus accepit, partim ex se ipse præstitit? Hoc vero quidnam esse queat audacius, ac temerarium magis?

IV. Atqui quod unum reliquum est, Paulum sic idiotam nequamquam fuisse, ut isti existimant, id jam commonstrare aggrediar. Isti enim non eum modo, qui in peregrinæ ac profanæ eloquentiæ præstigiis tyrocinium non posuerit, sed etiam eum, qui pro tuendo veritatis dogmate depugnare nesciat, idiotam appellant, & recte id quidem. At Paulus non utrobique idiotam se profitetur, sed in horum altero dumtaxat. Id quod dum confirmaret, rem diligenter admodum definivit, oratio-

(a) Quanta fuerit Pauli charitas, fatentur passim Patres vix posse explicari: non enim aliud satagebat, quam Dei cultum, & gloriam propagare, omnesque ad Dei fidem, & amorem perducere: *Sicut ferrum*, inquit Chrysostomus homilia 5. de Pauli laudibus, *missum in ignem, totum ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas.* Et paulo post: *More optimi ducis, militis, & medici omnium officiorum personas, & munia unus ipse subibat.* Multus est in enarrando S. Pauli zelo, & charitate S. Gregorius Nazianzenus in suo Apologetico 1.

Digitized by Google

oratione, (a) non etiam cognitione idiotam se appellitans, & certe si hic exigere vellemus Isocratis tersum levorem, Demosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis verendam majestatem, Platonis excellentem dignitatem, Pauli testimonium hoc adductum esse oporteret. Nunc vero si placet, omnia illa prætermittentes, ac peregrinæ eloquentiæ ornatum, ut supervacaneum ducentes, dictionem, enunciationemque negligamus, ac nobis orationis paupertatem sic permittamus, ut rerum verborumque compositio nuda nobis, ac simplex sit: modo ne quis in cognitione, atque adeo in dogmatibus diligenter excutiendis idiotam se præstet; neque quo suam ipsius ignaviam protegat, Paulum illum beatum ornatu suo maximo, tum laude, quæ in eo summa est, dispoliet.

V. Undenam enim, obsecro, Judæos illos qui Damascum incolerent confudit, signis miraculisque ab eo nondum cœptis? Unde Græcos idem supplantavit. Quamobrem autem Tarsum relegatus est? Nonne id factum est posteaquam vi dicendi victor ille evasit, sic ut quum victos se illi ferre non possent, ad illius cædem inflammati ferrentur? Nondum enim miracula edere cœperat. Neque vero dicere quis possit, Paulum

(a) Ideſt Græca polita & verbosa eloquentia, qualis est Isocratis, Demosthenis, & aliorum. S. Hieronymus in Epistola 152. quæst. 10. ad Algasiam diserte ait, S. Paulum vocasse se imperitum sermone non quidem præ humilitate, sed de conscientiæ veritate, tum etiam ita addit: *Profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat: & cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures plura non potest sermone transferre.* Idem asserit in Epistola ad Hedibiam, ubi etiam subjungit, quod hac de causa Paulus Titum Græce doctum penes se habuerit, sicut & beatus Petrus Marcum. Contra S. Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 7. putat Paulum se vocare imperitum sermone non ex sua, sed ex obtrectatorum sententia: fuse enim ostendit ibi Augustinus eloquentiam Pauli.

Digitized by Google

lum ab editorum miraculorum gloria, apud multitudinem in admiratione habitum, eosque, qui cum eo congrederentur, ab ipsius fuisse axistimatione oppressos. Ad id enim usque tempus nonnisi ab eloquentia victoriam de adversariis reportabat. Adversus eos autem, qui Judaismum sequi in Antiochia cœpissent, quibus auxiliis pugnavit (*a*) disputavitque? Rursus Areopagita ille superstitiosissimæ civitatis illius civis, nonne una cum uxore, audita tantum Pauli concione (*b*) illum sequutus est? Eutychius (*c*) vero quomodo de fenestra delapsus est? Nonne posteaquam usque ad multam noctem Pauli docentis orationi intentus operam dedisset? Quid vero Thessalonicæ, atque Corinthi, quid Ephesi, & in ipsa Roma, nonne totos dies totasque noctes insumpsit, dum divinas Scripturas ordine (*d*) exponeret? Jam quorsum percensere opus est disputationes eas, quas cum Epicureis (*e*), Stoicisque palam habuit? Nam si hic omnia referre velim, profecto noster sermo in magnam se se longitudinem producat.

VI. Quum igitur Paulum constet, tum ante miraculorum

I

(*a*) Vide Epistolam Pauli ad Galatas cap. 2.

[*b*] Recensetur ejus rei historia cap. 9. Actuum Apostolorum, ubi civis Areopagita, ejusque uxor, quorum hic meminit Chrysostomus, dicuntur fuisse Dionysius, & Damaris: *Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.*

(*c*) Vide historiam ejus rei cap. 20. Actuum Apostolorum, ubi inter alia, versu 9. legitur: *Sedens autem quidem adolescens nomine Eutychius super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.*

(*d*) In Actibus Apostolorum passim, & in Epistolis Pauli nihil frequentius occurrit, quam ejus conciones ac disputationes.

(*e*) Vide cap. 17. Actuum Apostolorum, ubi disputatio Epicureorum, & Stoicorum cum Paulo narratur.

Digitized by Google

lorum editionem, tum in mediis ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam, qua fronte jam sustinebunt, idiotam illum vocare, cujus magna fuit apud omnes qua disputantis, qua concionantis admiratio? Quamobrem enim Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? Nam quod Barnabam, ac Paulum deos (*a*) esse crederent, id a signis editis fiebat. Quod autem Paulum Mercurium (*b*) esse vellent, id non jam a signis, sed ab eloquentia nascebatur. Quanam autem re prærogativam ille vere beatus vir inter ceteros Apostolos obtinuit? Unde item per universum terrarum orbem multus in omnium mortalium ore versatur? Unde non apud nos modo, sed etiam apud Judæos, ac Gentiles in primis admirationi est? Nonne ab Epistolarum facultate, ac virtute? Per quam non eos tantum, qui id temporis in Christum crederent, sed eos quoque, qui ab eo tempore in hunc usque diem credidere, at qui postea crediturí sunt, tantisper dum ille de unoquoque judicaturus advenerit, adjuvit, adiuturusque est? Id quod facere nunquam cessabit, donec mortale genus duraturum est.

VII. Ejus quidem certe Scripta instar muri ex adamante constructi, omnes orbis universi Ecclesias (*c*) quovis

(*a*) Cap. 14. legitur quidem: *Turbæ autem cum vidissent, quod fecerat Paulus* (sanavit claudum ex utero matris suæ) *levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.*

[*b*] Dictus est Mercurius a Poetis facundiæ Deus, quod hominibus eloquentiam præstare putabatur.

[*c*] De Epistolis Pauli celebre est, quod scribit Eusebius lib. 3. *Historiæ*. cap. 24. Lectas jam olim vel initio nostræ Religionis Pauli Epistolas in Missarum solemniis, Scriptores liturgici passim testantur. S. Chrysostomus Præfatione in Epistolam Pauli ad Romanos, illud inter alia inculcat, laicos omnes, etiam opifices, & mercatores Pauli Epistolas legere debere.

Digitized by Google

quovis in loco positas circumvallant. Idemque ille fortissimi bellatoris exemplo medius etiamnum stat, captivam ducens omnem cogitationem ad obediendum Christo, itemque & consilia, celsitudinemque omnem adversus Dei cognitionem se se extollentem demolliens: quæ omnia ille perfecit per illas ipsas, quas nobis reliquit, Epistolas admirabiles, easdemque divina Sapientia refertas. Sunt autem Pauli Scripta nobis accomoda, non solum ut notha, atque adulterina a nobis dogmata amoliamur, verisque, ac germanis nos muniamus, sed etiam ad bene, beateque vivendum maximopere conducentia. Horum enim Antistites etiam hodierni usu, ac præsidio castam Virginem, quam ille Christo adaptavit, desponditque, concinnatam, deformatamque ad spiritualem venustatem, pulcritudinemque perducunt. His item simul irruentes in illam morbos propulsant, simulque præsentem conservant incolumitatem. Talia sunt ea ipsa pharmaca, quæ nobis idiota ille reliquit, ac tantas certe illa vires obtinent, quorum quidem experimentum probe admodum norunt, (*a*) qui assiduum eorum usum adhibent. Atque ex his quidem liquido constat, Paulum non mediocrem in eloquentiæ studiis operam collocasse.

CAP. V.

Doctrina instructum oportet esse Episcopum I. Verbi doctrinæ cognitionem in omnibus requiri, maxime vero in Sacerdotibus II. & III.

I. TU vero audi insuper, quibus ille verbis discipulum suum hortetur: (*b*) *Lectioni*, inquit, operam

(*a*) S. Augustinus lib. 7. *Confessionum*, cap. 21. sub initia conversionis suæ avidissime se sacram Scripturam, & præ ceteris Apostolum Paulum ingenti fructu lectitasse, quinimo Pauli lectione se plane conversum fatetur. [*b*] 2. Ad Timotheum 4.

operam dato, exhortationi, doctrinæ. Quarum rerum & fructum addit, quum ait: (*a*) *Nam si id feceris, teipsum servabis, & eos qui te audierint*. Ac rursus: (*b*) *Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine*. Ac progressus ait: (*c*) *At tu persistito in iis quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens a quo didiceris, & quod a puero sacras literas noveris*. Ac rursus (*d*): *Omnis scriptura divinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus*. Audi autem quæ ille addit, dum cum Tito de Episcoporum constitutione disserit: (*e*) *Oportet enim*, inquit, *Episcopum tenacem esse ejus, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, ac contradicentes convincere*. Quo igitur modo qui sic idiota erit, ut hi esse volunt, contradicentes convincere, eorumque ora obturare poterit? Quorsum vero opus est, operam navare lectioni, ac scripturis, si ea a nobis imperitia amplexanda est? Crede mihi, nihil aliud esse omnia ipsa possunt, quam excusationes quædam, quam socordiæ, atque pigritiei tituli, ac prætextus.

II. At vero inquies, Episcopis hæc Paulus præcipit. Et nobis sane de Episcopis sermo habetur. Quod autem ea etiam subditis præcepta sint, audi rursus, quid Paulus in alia quadam Epistola alios commonefaciat: (*f*) *Sermo Christi inhabitet in vobis opulente cum omni sapientia*. Ac rursus: (*g*) *Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat, vos unicuique respondere*. Jam id quod Petrus

(*a*) 2. Ad Timotheum 2. [*b*] Ibidem. (*c*) 2. Ad Timotheum 3. (*d*) Ibid. (*e*) Ad Titum 4. (*f*) Ad Colossenses 3. (*g*) Ibid. 4.

Digitized by Google

Petrus (*a*) vult, ut parati ſcilicet ſimus ad reſpondendum, omnibus quidem præceptum eſt. Paulus item ad Theſſalonicenſis ſcribens, [*b*] *Ædificetis*, inquit, *ſinguli ſingulos, ſicut & facitis*. Quum autem de Sacerdotibus verba facit (*c*) *Qui bene præſunt*, inquit, *Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in ſermone, ac doctrina*. Hic enim demum doctrinæ terminus conſummatiſſimus, quum Sacerdotes, tum factis, tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam illam vitam a Chriſto inſtitutam perducunt.

III. Neque enim nuda facta ſatis ſunt ad hoc, ut alios edoceas, niſi & cum his verba accedant. Quæ vox non mea eſt, ſed Servatoris noſtri Jeſu (*d*) *Quisquis enim*, inquit, *fecerit ſimul ac docuerit, hic magnus vocabitur*. Quod ſi is, qui facit, idem & doceret, ſupervacaneum id certe foret, quod ſecundum additum eſt. Dixiſſe enim ſatis erat, *Quiſquis fecerit tantum*. Ceterum quod utraque illa diſtinxerit, oſtendit, alias eſſe operum partes, alias ſermonis, atque utrumque alterius ſubſidio indigere ad conſummatam ædificationem. An non audis, quid Epheſiorum Presbyteris ſcribat Chriſti organum illud (*e*) electum: *Propter quod vigilate*, inquit, *memores, quod per triennium nocte, ac die non ceſſaverim cum lacrymis monere unumquemque veſtrum*. Quis enim lacrymarum, vel commonefactionis per verba præſtitæ uſus, vita in eo Apoſtolica ſic radiante? Certe ut mandata obſerves, poſſit vita hujuſmodi magna ex parte conferre, neque enim illi, quicquid belle, ac præclare geſtum fuerit, continuo ſoli acceptum retulerim.

(*a*) 1. Petri 5. (*b*) Ad Theſſolonicenſes 1. (*c*) 1. Ad Timotheum 1. [*d*] Matthæi 5. (*e*) Paulus nempe, cujus verba extant cap. 20. Actuum Apoſtolorum.

Digitized by Google

CAP. VI.

Naſcentibus circa Fidei dogmata controverſiis remedium afferre debet ſufficiens Epiſcopi eruditio I. Quanta pernicies ex imperitia Præſulis populo, & ipſi Præſuli II.

I. QUum autem de dogmatibus exortum fuerit certamen, depugnentque omnes ab iisdem ſcripturis, quamnam hic vitæ exemplum facultatem præſtare, quamnam vim exhibere poterit? Quidnam vero utilitatis ſudores permulti allaturi ſunt, quum vel poſt labores illos exhauſtos, a craſſa quadam inſcitia in hæreſim quis delapſus, ab Eccleſiæ corpore abſciſſus, avulſuſque fuerit? Quod quidem ſcio multis uſuveniſſe. Quod tandem illi fuerit tolerantiæ commodum? Certe nullum. Sicut neque fidei integræ atque incolumis uſus fuerit ullus, ſi perdite alioqui, & corrupte (*a*) vixeris. Quibus de cauſis eum oportet, qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, inprimis hujuſmodi certaminum peritia valere. Nam temere ſi tutus ipſe perſtat, nihilque prorſus ab adverſariis læditur, tamen ſimpliciorum hominum multitudo illi ſubjecta, ubi animadverterit, ducem victum eſſe, ac nihil habere, quo ſe contra adverſarios tueatur, jam non victi infirmitatem, ſed dogmatis potius imbecillitatem, vitiumque cauſantur. Atque ita demum ob unius hominis imperitiam multus populus in extremam perniciem præceps rapitur. Qui quamquam haud ſe ſe penitus cum fidei adverſariis conjungunt, tamen de iis ambigere coguntur, de quibus confidere ipſi poterant: & ad quos ſe ſe cum fide inconcuſſa contulerant, jam non illis cum eadem conſtantia

(*a*) Quia ſcilicet, ut ait S. Jacobus in Epiſtola ſua cap. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.*

ſtantia attenti eſſe poſſunt: verum tantus æſtus, atque tempeſtas illorum animos infeſtat ſuperato præceptore, ut malum ipſum in naufragium tandem erumpat.

II. Quanta autem pernicies, quantus item ignis in infelix miſerumque illius caput aggregetur, ſingulis quibuſque ex ſubditorum numero pereuntibus, nihil opus eſt, ut te hic doceam, qui per te ipſe omnia ad unguem noviſti. Hoccine igitur eſt arrogantiæ, hoccine inanis gloriæ facinus, quod mihi impingitur? Quod ſcilicet recuſaverim tam multarum animarum interitus author fieri, ac mihi majus ſupplicium accerſere, quam præparatum alioqui deſtinatumque poſt obitum fuiſſet? Quiſnam vero id mihi vitio verterit? Certe nullus, niſi ſiquis inſanire, ac nulla cum ratione expoſtulare, inque alienis calamitatibus Philoſophum agere volet.

DE SACERDOTIO

LIBER V.

CAP. I.

Sermones Sacerdotis ad populum cura & ſtudio elaboratos eſſe oportet I. Concionatorum furta, & quam caute iis non modo alienis, ſed & ſuis laboribus utendum. Vulgus non tam utilitatis quam voluptatis gratia conciones audit II.

I. JAM quantum experientiæ, atque exercitationis Epiſcopum ad agendas veritatis tuendæ cauſas afferre oporteat, ſatis ſuperque demonſtratum nobis puto. Dicendum autem aliud quiddam ſupereſt, cujus cauſa infinita alia exiſtunt pericula, ſeu, ut verius dicam, non ejus certe cauſa, ſed iis potius

Authoribus, qui eodem recte uti nesciunt. Quandoquidem res ipsa & salutis, & plurimorum bonorum conciliatrix est, si illius administratio in studiosorum, ac proborum virorum manus ceciderit. Id igitur quid est? Nempe labor ingens concionibus disputationibusque publice ad populum habendis impensus. Primum enim bona subditorum pars nolunt se ad concionantes Episcopos sic accommodare, ut se ipsi ad præceptores audiendos accommodant: sed discipulorum ordinem, conditionemque supergressi, spectatorum eorum conditionem usurpant, qui in theatris, stadiisve certamina spectaturi otiose (*a*) sedent. In quibus quemadmodum solemne esse videmus, ut multitudo in contraria scindatur studia, aliis huic, aliis illi applaudentibus; ita sane & in ac parte discissi, alii cum hoc, alii cum illo se se conjugunt, alias ad gratiam alias ad invidiam dicenti aures accommodantes. (*b*)

II. Neque vero id solum molestum est, sed & aliud quiddam hoc ipso nequaquam inferius. Nam si quum forte ex concionatoribus contigerit partem aliquam eorum, quæ ab aliis elaborata fuerint, suis ipsius concionibus intertexere; certe pluribus opprobriis obnoxium se facit, quam qui alienas opes suffurantur: quum alioqui etiam sæpe fiat, ut concionator ne aliunde quidem mutuatus quicquam, sed ea de re tantum suspectus instar furis alicujus in ipso furto depre-

(*a*) Starentne an sederent olim auditores in Concionibus, erudite ac fuse edisserit Bernardinus Ferrarius lib. 2. *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum*, cap. 21.

[*b*] Hunc & hodie abusum deploramus, quid enim hodie aliud fit in Concionibus Quadragesimæ tempore peragi solitis, quam ut quisque pro libitu suo unum extollat, alium deprimat Concionatorem. Nonnulli etiam homines cogunt, Matronasque invitant, non ut ad conciones proficiant, sed ut præsentia sua Concionatorem honorent.

Digitized by Google

deprehenſi (*a*) habeatur. Et quid dico, eorum, quæ ab aliis elaborata fuerint? Certe ne illi quidem licet ſuis ipſius inventis aſſidue uti. Aures enim ſuas vulgus aſſuefecere, ut non ad utilitatem, ſed ad voluptatem potius (*b*) audiant: quod faciunt qui vel de tragœdis, vel de citharœdis judicaturi ſedent, atque adeo dicendi vis illa, quam haud ita dudum explodebamus, hac in parte tantum ſui deſiderium præbet, ut ne in rethoribus quidem ipſis, quum illi inter ſe concertant, tanta requiratur.

CAP. II.

In Sacerdote ſeu Concionatore contemptus auræ popularis, & dicendi vis requitur I. Vanæ laudis, & gloriæ ſtudium quam in prædicatore noxium II. Oratio concionatoris, ut robuſta, & efficax ſit, eloquentiæ vi inſtrui debet III.

I. HIC ergo generoſo opus eſt animo, eoque, qui longe exiguitatem hanc ſuperet, ut multitudinis voluptatem illam immoderatam, infructuoſamque compeſcat, poſſitque illorum auditionem ad id quod utilius futurum ſit, (*c*) transferre, hac ratione

(*a*) Novi nonnullos eam ob cauſam deriſos, ac linguis etiam obtrectatorum laceſſitos, quod conciones aliorum typis commiſſas in ſacro ſuggeſtu recitarent; alios etiam, quod Auctorum Gallorum conciones Italice redditas ad literam dicerent.

(*b*) Hoc eodem non pauci & hodie vitio laborant, eaque cauſa eſt, cur nihil ad ſacras conciones proficiant.

[*c*] Utinam ad ea ſacri Concionatores attenderent, quæ docet etiam S. Heronymus in Epiſtola ad Nepotianum, *De vita Sacerdotum*, ubi ita inquit: *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur; lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint: ſermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt &c.*

Digitized by Google

ratione, ut populum se sequentem, ac sibi obsecundantem habeat, non etiam ut ipse a populi desideriis agatur: id quod præstare nemo potest, nisi idem simul popularem auram aspernetur, simul dicendi vim obtineat. Quorum utrumque nisi adfuerit, certe alterum alterius auxilio destitutum nulli usui esse possit. Nam si is laudum cavillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam (*a*) sale, ac gratia conditam, fiet, ut a multis despicabilis habeatur, nullo prorsus lucro, commodove ab animi magnitudine illa accepto.

II. Rursum si dicendi partes optime præstare quum possit, a plausu, (*b*) atque aura populari vincatur, tum ipsi, tum multitudini, quæ audit, damnum, detrimentumque idem propositum, hoc ipso, quod laudum ille suarum desiderio captus, ad auditorum gratiam magis, quam utilitatem, dicendi vim exercet. Ac quemadmodum nescio quo pacto fit, ut qui nulla ex parte popularibus laudibus capitur, quique idem dicendi est imperitus, is neque obsecundare multitudinis voluptatibus possit, neque rursus auditoribus magno admodum usui adjumentoque esse, propterea quod

[*a*] Inter alias boni Prædicatoris dotes est quidem, ut doctrina præditus sit, ac præsertim scientia Scripturarum, ne alias illam Apostoli reprehensionem incurrant in prima ad Timotheum cap. 1. *Volentes esse legis doctores, non intelligentes quæ loquuntur, nec de quibus affirmant.*

(*b*) Duo potissimum a concionatoribus fugienda, vanitas, & quæstus, ut nos docet S. Bernardus Sermone 41. in Cantica num. 6. *Væ qui bene de Deo & sentire, & eloqui cœperunt, si quæstum æstiment pietatem, si convertant ad inanem gloriam quod ad lucra Dei acceperant erogandum; si alta sapientes, humilibus non consentiant. Paveant quod in Propheta legitur.* (est is Oseas Propheta cap. 1.) *dicente Domino*: Dedi eis aurum meum, & argentum meum; ipsi autem de argento & auro meo operati sunt Baal.

Digitized by Google

quod nullis eloquentiæ doctrinæve præsidiis instructus est : sic qui laudum desiderio trahitur, is quum doctrina, eloquentiaque sua multitudinem reddere meliorem possit, mavult certe, dum laudes illas, quas a multitudine accepit, compensare cupit, ea in medium afferre, quæ auditores delectare possunt; his ipsis populares plausus, (*a*) clamoresque captans.

III. Eum igitur, qui optimus populi ductor futurus sit, utraque illa dote præditum esse convenit, ut ne altera si abfuerit, alteram subvertat. Quum enim in medio exurgens, oransque, populo ea eloquutus fuerit, quæ otiosorum hominum ignaviam, atque socordiam

[*a*] Huc facit quod scribit S. Hieronymus in Ecclesiast. 9. *Quemcumque videris in Ecclesia declamatorem, & quodam lenocinio, ac venustate verborum, excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectus lætitiæ comitare, scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur, quam eorum qui audiunt.* Porro optimi Concionator's partes explens S. Chrysostomus, acclamationes, & plausus omnes contempsit, ut ipse in Homiliis suis passim testatur. Homilia 2. in Epistolam Pauli ad Titum ita Concionatorem alloquitur: *Dixisti recte, plaususque, consequutus es? Et quid emolumenti? Si enim adjuti quidem sunt plaudentes, & mutati, & meliores effecti, prioribus abstinuere malis, vere gaudendum est, non jam collatis laudibus, sed bona mirabilique mutatione: Si vero laudantes quidem, & tumultuantes perseverant, & plaudentes, nullum autem ex plausibus fructum reportant, dolendum magis est, quoniam hæc eis in judicium cedunt, & damnationem.* Homilia 5. de incomprehensibili Dei natura ita scribit: *Hæc ita doceo, non ut verbis probetis tantum, & laudetis, verum etiam ut factis palam animum vestrum recepisse quæ laudat, faciatis.* Vide plura apud eruditum Ferrarium lib. 2. cap. 24. ubi ad eam rem alia recenset Patrum testimonia, quo sacri Concionatores laudes hujusmodi spernant, solamque Dei gloriam quærant. Vide Humbertum de Romanis, *De eruditione religiosorum Prædicatorum.*

Digitized by Google

cordiam perſtringere poſſunt, ac deinde labatur, (*a*) & intercidat illius oratio, tum vero prædicendi inopia erubeſcere ille cogatur, diffluit continuo, atque evaneſcit omnium eorum, quæ dixerit, lucrum. Nam qui ab eo perſtricti fuerint, illius verbis ſuccenſi, dum alia rependere non poſſunt, ignorantiæ ſcommatis eum laceſſunt, his arbitrati ſua ipſorum opprobria adumbrare. Propterea oportere Epiſcopum puto, aurigæ optimi exemplo, utraſque illas virtutes diligenter attemperare, ut ipſi liceat illas ſimul rite, atque ordine pertractare: quum enim talem ſe præſtiterit, ut a nemine reprehendi poſſit, tum poterit cum quanta voluerit libertate, ſubditorum ſuorum omnia delicta alias caſtigare, alias remittere: prius autem hoc illi haud facile factu fuerit.

CAP. III.

Livor, & invidia a Sacerdote contemnenda I. Nec laudibus efferri, nec probris dejici Præſulem oportet II. Laudum avidi, quam multis incommodis obnoxii III.

I. POrro animi magnitudinem ſic eum præſtare oportet, ut illam non ſolum intra popularium laudum

(*a*) Hic nota, quanta ſit concionandi difficultas, oratio enim Concionatoris, ut robuſta, & efficax ſit, non modo doctrinæ, ſed & eloquentiæ vi, quam multi ignorant, inſtrui debet. Ea ſane apprime inter alias dotes præditus eſt, ut alios omittam celeberrimos noſtri ævi Concionatores, amicus noſter, & conterraneus Reverendus Pater Dominicus Andreas de Cavalcantibus Clericus Regularis, Franciſci Antonii ejuſdem Ordinis Clericorum Regularium ſupremi Moderatoris Frater, Verbi Dei præco eximius, qui anno 1735. Romæ in auguſto, ac peramplo S. Andreæ Templo Conciones quadrageſimales habuit tanto populorum concurſu, ut præ foribus ſtandum eſſet. Id quod non ſemel illi alibi accidit, ut teſtatur Vir clariſſimus Thomas Aceti in Notis ad Barrium pag. 98. ubi tamen corrigendus eſt numerus anni, non enim Romæ anno 1736. ſed 35. concionatus eſt.

Digitized by Google

laudum contemptionem contineat, ſed & ulterius promoveat, ut ne rurſus lucrum id, quod captat, imperfectum maneat. Quidnam igitur aliud contemnere illum convenit? Livorem, atque invidentiam. Intempeſtivas autem inſimulationes (quippe Antiſtitem neceſſe eſt abſurdas etiam devorare (*a*) criminationes) neque præter modum vereri, ac reformidare, neque rurſus leviter deſpicere convenit; ſed te oportet, ut falſæ etiam exiſtant, ut a plebeis, ac contemptis hominibus in te contorqueantur, contendere, ut eas ſtatim extinguas. Nulla enim res alia magis famam auget, vel bonam, vel malam, quam vulgus (*b*) incompoſitum, ut quod citra omnem delectum, ac judicium, & audire, & eloqui quum aſſuefecerit, id omne, quicquid occurrerit, temere proloquatur, nulla prorſus veritatis ratione habita. Quamobrem te non oportet, vulgus ipſum contemnere, quin potius ſuſpiciones (*c*) pravas ſtatim atque exortæ illæ fuerint, intercidere, blande item appellare eos, qui te inſimulaverint, ut illi etiam omnium iniquiſſi-

(*a*) Teſtatur Petrus Bleſenſis in Epiſtola ſua 100. illud quidem moris eſſe, ut ſe in Prælatos linguæ prurientes exerceant. Conſtat ſane ex Eccleſiaſtica hiſtoria, quantorum criminum inſimulati fuerint, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, & alii complures, quos longum eſt hic recenſere.

(*b*) Quanta ſit vulgi inſania, omnibus notum eſt. S. Gregorius Nazianzenus in 1. Apologetico ſuo, vulgi malitiam dixit ſemper in pejus procliviorem. Et in Epiſtola ad Philagrium, vulgus ait de piis judicare, ut graculi de aquilis.

[*c*] Tenenda eſt ſacris hominibus regula illa, quam tradidit olim ſuo Nepotiano S. Hieronymus: *Caveto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante devita.* Non hic omittendum illorum exemplum, de quibus ita narrat Climicus, agens de diſcretione, gradu 26. *Vidi juvenes ſe invicem caſtiſſimo amore, ac ſecundum Deum diligentes, qui tamen, dum aliorum conſcientiam inde læsi conſpicerent, convenit inter eos, ut ſe adinvicem ad tempus elongarent.*

Digitized by Google

quiſſimi ſint; ac nihil prorſus omittere rerum earum, quæ pravam de te opinionem delere poſſint. Sin vero omnia quum præſtiterimus, noluerint qui nos accuſant, acquieſcere, tum demum contemnere eos licebit. Quandoquidem ſi quis ob populi ſcommata hujuſmodi animo ſtatim dejici cœperit, is certe nihil unquam, quod generoſum, admirandumque ſit, parere poterit. Siquidem mœſtitia, itemque curæ, ac ſolicitudines perpetuæ animi vim maxime poſſunt proſternere, eumdemque ad ſummam etiam imbecillitatem perducere.

II. Oportet igitur ſimiliter Epiſcopum erga ſubditos affici, ut Pater erga liberos ſuos admodum infantes afficeretur. Ac quemadmodum illis neque inſoleſcentibus, neque cædentibus, neque lugentibus ſoliciti animo ſumus, ac ne quum nobis quidem arriſerint, magnopere laboramus; ſic nos oportet neque vulgaribus laudibus intumeſcere, neque probris animum deſpondere, ſi quando ea intempeſtive erumpere videas. Iſtud vero difficile admodum, ac fortaſſe tale, ut præſtare id nemo poſſit: ſuas enim aliquem laudes audire, ac nihil inde delectari, neſcio an cuiquam unquam mortalium obtigerit.

III. Jam conſentaneum quidem eſt, ut qui laudibus delectetur, idem illis etiam frui appetat: eum porro qui frui appetit, omnino neceſſarium eſt, mœſtitia, & dolore affici, quoties illas non poteſt aſſequi. Nam quemadmodum quos divites eſſe juvat, ſi quando in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur; & qui deliciis aſſuevere, tenuem, ac ſimplicem victum tolerare nunquam poſſunt: ita qui laudum amore capti ſunt, non ſolum quum injuſte vituperantur, ſed etiam quum ab aliis aſſidue non laudantur, quaſi fame aliqua animum conficiunt. Idque potiſſimum, ſi in ipſis

in ipsis laudibus educati fuerint, aut si alios apud se laudari auderint. Qui vero cum laudum appetentia hujusmodi in docendi certamen prodierit, quam multis illum negotiis, quam multis animi doloribus obnoxium putas? Certe neque mare unquam potest undis carere, neque illius animus curis, atque angustia.

CAP. IV.

Peritiores etiam studio, & labore opus habere I. Quam sint plerique iniqui judices, & censores concionatorum II.

I. NAM si is forte fuerit magna dicendi vi preditus, hoc autem paucorum quidem est hominum, ne sic quidem ab assiduo labore expedire se potest. Etenim quandoquidem non natura, sed disciplina eloquentiam parit, quum ad illius etiam fastigium quis pervenerit, tum certe ab ea ipse destituetur, nisi continenti (*a*) studio, atque exercitatione vim hujusmodi excoluerit. Quo fit, ut qui peritiores jam sunt, iis major quam vel ipsis imperitioribus labor sit propositus. Neque enim par, atque eadem jam jactura hos, atque illos manet, si rem uterque neglexerint: verum tanto ea major est jactura

(*a*) Mandat quidem Apostolus in Epistola 1. ad Timotheum, quem Episcopum constituerat, ut lectioni & doctrinæ assidue vacaret, divinæ scilicet Scripturæ, quæ a S. Ambrosio lib. 3. *De Fide*, cap. 7. appellatur *liber Sacerdotalis*, & a S. Dionysio in lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 1. *Substantia Sacerdotii nostri.* Certe S. Paulus in Epistola 2. ad Timotheum cap. 4. licet morti proximus, libros tamen utique sacros ad se afferri mandavit. In quem locum S. Thomas refert, S. Ambrosium (quod quidem in ejus vita legitur) usque ad ultimam suam ægritudinem non cessasse studere, legere, ac scribere commentarios in sacras literas, adeoque commentationi Psalmi 45. diem suum clausisse extremum.

Digitized by Google

ctura, quanto inter se intervallo possessio utraque, hoc est peritia, & imperitia dissident. Imperitos quidem nullus in jus vocet, si nihil illi attulerint, quod eruditum, atque eloquens sit. At periti nisi semper e penu sua uberiora quædam, & quæ eloquentiæ opinione, quam vulgo jam receptam habent, majora sint, protulerint, nimirum auditorum omnium criminationibus obnoxii sunt. Adde quod illi vel a mediocri eloquentia magnas etiam laudes assequi possint: horum vero sermo, nisi apprime admirabilis, atque adeo stupendus fuerit, tantum abest, ut laudatores inveniat, ut etiam accusatores permultos conciliet. Neque enim auditorum consessus magis ex præjudicata jam dicentium existimatione, opinioneque, quam ex iis, quæ dicuntur, judicium facturus est.

II. Quapropter quum quis ceteris eloquentia præstiterit, tum demum illi in primis studio, ac labore opus est. Neque enim prætendere poterit id excusationis genus, quod naturæ humanæ commune est, fieri scilicet non posse, ut omnibus horis sapias. Verum nisi ubique dicta illius omnia existimationis ipsius magnitudini responderint, infinitis certe cum scommatis, ac criminationibus a populo acceptis domum se recipiet. Quum interim nemo existat, qui secum reputet, vel tristitiam aliquam, vel angorem, vel solicitudinem, nonnunquam item & iram, quæ in animum irruerit, solere mentis aciei tenebras effundere, neque sinere ipsos animi fœtus puros, sinceroque evadere: præterea fieri omnino nequaquam posse, ut qui homo ipse sit, ubique eundem se præstet, ac quicquid tentaverit, id omne ut prospere illi succedat. At consentaneum quidem esse, & ut nonnunquam aberret, ac se ipse inferior appareat: quarum rerum omnium nullam illi, quod jam dixi, consi-

considerare volunt: quinimo sic in illum crimina impingunt, ut si Angelo judices essent. Quum alioqui etiam natura comparatum videamus, ut alterius facinora atque officia, quantumvis licet multa, ac magna despiciamus: sin vel leve quidpiam in eo desideretur, isque vel ex longo intervallo aberraverit, id plebs statim præsentit, prompte mordet, atque ubique meminit. Atque hoc ipsum parvum licet, ac tenue multorum, eorumque magnorum virorum gloriam identidem elevavit. Vides itaque, majori opus esse studio, ei in primis, qui dicendi præstantia valeat, ac præter studium tanta item tolerantia, quanta ne illis quidem omnibus, quos tibi prius nominavi, opus fuit.

CAP. V.

Invidiæ, & odia obtrectantium generose ferenda I. Vulgi judicia Concionatori contemnenda II. & III. Ad unius Dei gratiam sermo Prædicatoris dirigendus IV. Concionatoribus etiam minus eloquentibus laudum contemptu opus est V. Quanti mali occasio sit, si quis dignitate inferior Episcopo, eloquentia prævaleat VI. Quantopere passim affectetur ornatus, & elegantia dictionis VII.

I. ETenim illum permulti temere, ac nullo consilio identidem adoriuntur, qui ipsi nihil aliud habent, quod incusent, nisi quod illum ægre ferunt apud omnes inclarescere: quo magis illorum fortiter ac generose ferenda est invidentia. Cujusmodi odium execrabile, quod temere illi collegere, occultare, ac dissimulare quum ipsi non possint, clam conviciantur, incusant, calumniantur, malitiæ etiam suæ virus palam diffundunt. Animus autem is, qui ad illa singula dolorem aliquem concipere, atque inde irri-

tari cœperit, non poteſt, quin eo ſtatim dolore arrodatur, atque conficiatur. Neque enim illum per ſe ſe ipſi ulciſcuntur tantum, ſed id etiam aliorum opera aggrediuntur. Ac ſæpe fit, ut unum aliquem ex eorum numero, qui dicendi facultate minime valeant, eligant (*a*), eumdemque laudibus in cælum extollentes, ſupra dignitatem admirentur: alios ad id inſania, alios inſcitia, alios invidia impellente: non quidem ut illius eloquentiam admirabilem reddant, quæ talis etiam ipſa non ſit, ſed ut hujus gloriam elevent, atque extinguant.

II. Neque vero contra hujuſmodi adverſarios athletæ illi certamen modo propoſitum eſt; ſed & ſæpe numero contra univerſi populi imperitiam. Nam quandoquidem ex elegantibus, eloquentibuſque viris auditorum in unum coeuntium conſeſſus haudquaquam conflatur; verum bona concionis totius pars ex imperitis conſtat: ſunt autem reliqui & ipſi illis quidem prudentiores, iidem tamen tanto iis inferiores, qui de dicendi facultate judicium ferre poſſunt, quanto iisdem reliqui omnes, ſed quoniam unus tantum, aut alter in concione aſſidet, qui dicendi virtutem hujumodi obtineat, fit neceſſario, ut qui doctius, atque eloquentius dixerit, minus plauſus reportet: aliquoties autem ne laudatus quidem diſcedat: ac certe operæ pretium eſſe puto animum contra hujuſmodi ineptias, atque abſurditates generoſe præparare, iiſque ignoſcere, qui inſcitia peccant; eos vero qui invidia adducti hoc facere ſuſtinent, ut infelices,

[*a*] Ita profecto multis in locis accidere ſolet, ubi a communitatibus locorum eliguntur Concionatores: qui enim in ipſis plurimum valent, ut optimos, quos oporteret eligere, deprimant, alios, quibus ipſi favent, tametſi ineptos & ignorantes ad Cælum uſque extollunt.

Digitized by Google

lices, ac miſerabiles deplorare; neutro autem horum exiſtimare Epiſcopus debet, de ſua dicendi facultate quicquam detractum.

III. Neque enim ſi pictor qui optimus quidem ſit, quique omnes pingendi arte præcellat, imaginem accuratiſſime a ſe expreſſam ab imperitis artificii illius vellicari videat, convenire puto, ut animum ſtatim deſpondeat, picturamque ab imperitorum judicio ineptam cenſeat: quemadmodum neque eam, quæ vere inepta ſit, ob eorum ſtuporem, qui pingendi rudes, ignarique ſunt, admiratione, amore, atque amplexibus dignam cenſere debet. Sit enim optimus opifex ſuorum quiſque operum judex, atque is quidem opera ea quæ facit, hac ratione, vel venuſta, vel inepta judicet, quum mens, atque ingenium, cujus induſtria opera ipſa formata fuerint, tale de illis ſuffragium judiciumque tulerit: aliorum autem opinionem errantem, atque arte carentem ſic reiiciat, ut ne in animi quidem cogitationem deſcendere permittat.

IV. Haud aliter ſane qui aliorum edocendorum provinciam ſuſceperit, is ne ab aliorum laudibus dependeat, neve ab iis animum deſpondeat. At orationes hoc conſilio meditatus, ut Deo optimo gratæ, atque acceptæ ſint, hunc unum ſibi ſtatuat canonem ac terminum (*a*) optimi illarum opificii, non plauſus, ac laudationes. Laudatur is ab hominibus: laudes ne reiiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur: eas ipſas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum ſolatium idque omnium certe maximum, ſi ſibi ipſe conſcius eſſe potuerit, ad hanc ſe rationem, doctrinam, eloquentiamque ſuam com-

(*a*) Optimum ſacro Concionatori monitum, ut non ſuam ſed Dei gloriam unice quærat in concionibus ſuis.

Digitized by Google

posuisse, atque adaptasse, ut Deo (a) illa placens, acceptaque foret. Etenim si illius animum iniquarum laudum appetentia prius occupaverit, ei certe nihil sudores, laboresque illi improbi, nihil dicendi vis illa ac facultas profuerit. Humanus enim animus is qui temeraria, ac cæca vulgi judicia ferre minime potest, statim fatiscit, studiumque ipsum literarum abiicit. Quamobrem in primis erudiendus is est in laudum contemptu, ac despicientia. Neque enim satis est eloquentia præditum esse ad dicendi facultatem hanc conservandam, nisi is ipse, quem dico, laudum contemptus adfuerit.

V. Quod si quis rem ipsam ad calculos exacte exigere velit, & illi quoque, qui facultate ista caret, conperiet nihilominus opus esse contemptu isto laudum, quam ei opus sit, qui admodum eloquens sit. Nam si a popularis auræ illecebris vinci se ille patiatur, necessario fiet, ut multis in rebus delinquat: ut qui quum non possit claros illustresque illos dicendi æquare, non recusabit alias illis insidias parare, aliis invidere, aliis injuste detrahere, multaque alia id genus præter decorum committere. Quinimo nihil non audebit, vel usque ad animæ exitium, ut illorum gloriam ad suæ tenuitatis humilitatem deducat. Adde quod a stu-

(a) Optimum concionatori monitum in 1. ad Corinthios 4. ut ita doctrinam, & eloquentiam suam componat, ut Deo placens acceptaque sit: *Quid enim habes*, inquit Apostolus, *Quod non accepisti?* & in 2. ad eosdem cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Scite S. Bernardus sermone 13. in Cantica: *Tibi unde gloria? Putide pulvis, unde tibi? De vitæ sanctitate, sed Spiritus est, qui sanctificat. Spiritus, non dico tuus, sed Dei.* Et paulo post: *An blanditur popularis favor, quod verbum bonum & bene forte deprompseris. Sed Christus ornavit os, & sapientiam. Nam lingua tua quid, nisi calamus scribæ? Et hoc ipsum mutuo accepisse talentum creditum, est repetendum cum usura.*

Digitized by Google

a ſtudiorum ſudoribus laboribuſque abſtinebit, tamquam torpedine quadam illius animo circumfuſa. Quiſquis enim poſt immenſos labores ſuſceptos laudis fructum inferiorem reportat, is, niſi ſe ipſe prius ad laudum contemptum gnaviter compoſuerit, nimirum animum ſtatim deſpondere, eundemque ad altam quandam ſomnolentiam convertere ſolet: quando & agricola dum in ſterilium locorum cultu, ac labore verſatur, ac lapidoſum novalem arare cogitur, ſtatim labore ſuperſedet, niſi illum vel agricolationis ſtudium vehemens, vel famis timor ingruentis detineat.

VI. Etenim ſi quibus dicendi facultas magna ineſt, ut donum illud conſervent, tanta opus eſt exercitatione: qui facultatis illius nihil comparaverit, ſed in mediis ipſis dicendi certaminibus, in ipſo concionum agendarum ſtudio meditari cogitur, is quantum, quæſo, ſubiturus eſt difficultatis, quantum tumultus, quantum turbolentiæ, ut magno ſuo labore tantillum auræ popularis ſibi conciliet? Sin vero quiſquam exiſtet, qui vel inferiorem Epiſcopo dignitatem, atque ordinem ſortitus, hac ſane in parte pluſquam ille clareſcere poſſit, huic demum divino quodam animo opus eſt, ut ne vel invidia vincatur, vel animi deſperatione opprimatur. Ab inferioribus enim dicendi gloria vinci eum qui dignitate præcellat, remque fortiter, ac generoſe perpeti, id certe non cujuſlibet, neque noſtri ſane fuerit, ſed adamantini potius cujuſdam animi. Porro qui ſic excellit, hic ſi humano forte, ac modeſto animo præditus fuerit, malum utique utcumque tolerandum. Sin & audaculus, & arrogans, & gloriolæ ſitiens, nimirum mors adverſario quotidie optanda: uſque adeo amarulentam ei vitam rivalis reddit, in propatulo exuperans, clam ſubſannans, pleraque de illius authoritate identidem vellicans, omnia

nia ipse esse cupiens : quarum rerum omnium maximum sibi præsidium facit, tum eam quam in dicendo usurpat libertatem, tum multitudinis in se studium, tum subditorum erga se omnium dilectionem.

VII. An tu ignoras, quantus jam ornate copioseque dicendi amor, quantum studium in Christianorum animos invadat, ac tamquam debacchetur? Quantoque jam in pretio habeantur, qui studium id excolunt, non apud externos tantum, sed etiam apud eos, qui Christianæ pietatis partes sequuntur? Quî igitur tantum dedecus quis ferat? quum ipso scilicet dicente, taceant omnes, ac se se obturbari existiment, tum vero orationis finem quasi laborum requiem quandam expectent: alterum autem vel diu admodum orantem, patienter auscultent, & dicendi finem facere volentem, ægerrime ferant? denique quo jam silere volente irritentur, commoveanturque? Hæc enim etiamsi tenuia tibi, ac despicabilia inexperto videantur, tamen ejusmodi sunt, quæ possint tum studii vehementiam extinguere, tum animum ipsum enervare, atque dissolvere: nisi quis e perturbationibus humanis omnibus se se asserens, ad incorporearum potestatum exemplum animum ipse suum composuerit: quæ quidem neque invidiæ, neque gloriæ studio, neque alteri id genus morbo obnoxiæ sunt. Proinde si quisquam est mortalium omnium talis, qui bestiam talem captu difficilem, indomitam, ac truculentam, nempe auram popularem conculcare, ac multiplicia illius capita excidere possit: imo vero siquis est, qui illam nullo enasci modo patiatur: hic sane facile poterit conplures insultus istos a se depellere, ac tranquillo quodam portu tandem frui: qui si ab ea se se non asseruerit, idem hic multiplex bellum, tumultum perpetuum, denique desponsionis animi, reliquorumque

rumque morborum turbam adverſum ſe depugnaturam præparabit. Jam quorſum attinet reliquas difficultates perſequi? quas quidem nemo neque docere, neque diſcere poterit, niſi qui in rem præſentem venerit, rerumque ipſarum adminiſtrationem ſubierit.

DE SACERDOTIO
LIBER VI.
CAP. I.

A Sacerdotibus rationem, & pœnas exigendas pro peccatis populi I. Nullus excuſationi locus Epiſcopo II.

I. ET certe hoc in orbe dum vivitur, hujuſmodi res exiſtunt, cujuſmodi ex me audiſti: vita vero defunctis quemnam in modum ea nobis ferentur, quæ tum ferenda erunt, quum nos videlicet pro iis ſigillatim omnibus, qui nobis concrediti fuerint, rationem reddere cogemur? Neque enim dedecoris tantum, atque ignominiæ pœna, ſed etiam æterni ſupplicii mulcta nos illic expectat. Illud enim (a) *Parete iis, qui præſunt vobis, & ſubjacete, nam illi vigilant pro animis veſtris tamquam rationem reddituri*: tametſi prius a me dictum eſt, tamen ne nunc quidem reticebo; hujus enim comminationis terror animum mihi aſſidue concutit. Nam, ſi ei qui unum aliquem, & minimum duntaxat offenderit, (b) *expedit ut mola aſinaria ſuſpendatur e collo ipſius, ac demergatur in profundum maris*. Item ſi qui fratrum ſuorum conſcientiam offendunt, ii omnes in ipſum Chriſtum (c) peccant: qui non unum, non duos, non tres tantum,

(a) Eſt Apoſtoli Pauli dictum in Epiſtola ad Hebræos cap. 13.
(b) Matthæi cap. 18.
[c] Vide Epiſtolam 1. ad Corinthios cap. 8.

Digitized by Google

tum, ſed multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem fiet? ac quamnam illi pœnam ſunt penſuri?

II. Neque enim licet imperitiam excuſare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut neceſſitatis, aut violentiæ ſpeciem opponere: verum ſubditur potius aliquis, ſi modo id liceat, ſuis ipſius, quam Antiſtes aliorum peccatis excuſandis ſuffugio hoc uti poſſit. Quamobrem? Quandoquidem qui delegatus eſt, ut alienam emendet ignorantiam, tum vero diabolicum inſtare bellum denunciet, is certe ignorantiam prætendere minime poterit, neque vocem hanc uſurpare: *Tubam non exaudivi, bellum non prævidi.* Quippe in hoc ſedet ille, ut Ezechiel ait, ut aliis ſignum tuba canens det, & quæ futura ſunt incommoda prænunciet. Quo nomine ſupplicium nulla excuſatione depellere poterit, quamvis unius dumtaxat animæ jactura acciderit: *Si enim dum rhomphæa imminet populo tuba ſignum non dederit, neque prænunciaverit*, inquit (a) ille, *ſpeculator, ac gladius animam invaſerit, ipſa quidem anima a ſua ipſius iniquitate capta fuerit, ſanguinem autem ipſius ex ſpeculatoris manu exquiram.*

CAP. II.

Diligentiorem cuſtodiam ſui, & majorem perfectionem in Epiſcopis, quam in Monachis requiri I. Non in ſplendore tantum, ſed & in ſqualore timenda pericula, & perditionem II. Quantum in delatis honoribus periculi, ſive viris a mulieribus, ſive a tribuantur, facilioremque & ſecuriorem eſſe Monachorum vitam, quam Præſulum III.

I. DEſine ergo nos protrudere in ſic inevitabilis judicii aleam. Neque enim nobis hic res eſt de ducen-

(a) Ezechielis cap. 33.

ducendis militibus, aut de regno administrando; sed de functione ea, quæ angelicam virtutem requirit. Etenim Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet: ut ne quando Spiritus Sanctus desolatum illum relinquat, ut dicere illi liceat: (a) *Vivo equidem non amplius ego, vivit autem in me Christus*. Nam si qui eremum inhabitant, quique iidem procul tum ab urbe, tum a foro, tum a tumultibus illinc enascentibus securi liberique vivunt; denique qui assidua prorsus tranquillitate perfruuntur; toto vitæ illius præsidio fidere nolunt; quinimo infinitas quoque alias addunt custodias, undecumque se ipsos circumsepientes, magna adeo cum diligentia, & dicere, & facere omnia adlaborantes, ut cum libertate, ac puritate aliqua sincera, quantum humanus captus ferre potest, ad Dei conspectum accedere possint: quantam putas Sacerdotem præstare debere, tum vim, tum potentiam, ut animam suam ipsius ab omni vindicet fœditate, ut spiritualem pulchritudinem illæsam, atque incolumem servet? Etenim multo major vitæ integritas (b) huic, quam illis necessaria est. Jam cui integritas major necessaria est, hic certe pluribus, quam illi iidem, casibus obnoxius esse cogitur, qui eum conspurcare possunt, nisi continentem sobrietatem, ac vehemens admodum studium adhibens, animum impervium, impenetrabilemque præstiterit. Nam & oris decor, & motuum

(a) Pauli dictum in Epistola ad Galatas cap. 2.

(b) Episcopatum esse statum perfectionis, cum omnium Theologorum Magistro S. Thoma de Aquino Theologi omnes docent. Teste Chrysostomo Homilia 10. in 1. ad Timotheum, *Oportet Episcopum Angelum esse*. Paulo superius dixit: *Tanta eum decet gloria virtutis excellere, ut instar solis ceteros velut stellas suo fulgore obscuret*. Concilium Tridentinum vocat Episcopatum, *Onus angelicis humeris formidandum*. Id quod alii passim sancti Ecclesiæ Patres tradunt.

Digitized by Google

tuum (*a*) exquisita mollities, & incessus affectatum studium (*b*), & vocis confractio, & oculorum, & malarum pigmenta, & cincinnorum compositiones, & capillitii tinctura, & vestium (*c*) sumptuosarum, auratarumque diversitas, & gemmarum pulchritudo, & unguentorum fragrantia, & cetera omnia, quæ muliebre (*d*) genus affectare solet, talia sunt, quæ animum commovere possint, nisi is continentiæ austeritate occaluerit.

(*a*) Utinam sacri homines animo suo imprimerent, quod lib. 1. officiorum scribit S. Ambrosius cap. 18. *Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut stupidior, aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.* Tum addit, quendam suum amicum, qui cum se illi sedulis videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum ab ipso Ambrosio non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret.

(*b*) Narrat idem S. Ambrosius loco citato, se alteri quoque Clericatu jam initiato præcepisse, ne unquam præiret ipsi, quod insolito quodam incessu oculos feriret suos: *Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quædam scurrarum percursantium &c.*

(*c*) Ecce quibus coloribus S. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, sacros quosdam sui temporis homines depingit, qui ptetiosis vestibus, & intortis capillis, atque incessu perspicuum omnibus faciebant, quid vanitatis in animo gererent, & quam male essent affecti: *Omnibus his cura de vestibus; si pes lana pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti anulis radiant; & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia: tales cum videris sponsos magis existimato, quam Clericos.*

(*d*) Vide S. Ambrosium lib. 1. officiorum, ubi integro cap. 19. docet in omnibus actis viriliter agendum, nec quicquam affectatum, aut femineum attendendum: *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt, sed formam quandam, & regulam, ac succum virilem reservans. Hoc est enim pulchritudinem vivendi enere, convenientia cuique sexui, & personæ reddere.*

Digitized by Google

luerit. Proinde ab iis quæ dixi commoveri mirum nequaquam eſt.

II. Ceterum per alia quædam, quæ his contraria ſint, diabolum ferire, humanaſque animas miſſo velut telo configere poſſe, id vero ſtuporis, ac dubitationis plenum eſt. Pridem enim nonnulli, qui retia illa, quæ dixi, evaſerant, a longe diverſiſſimis capti ſunt. Nam & neglecta oris facies, & ſqualida coma, & ſordida (*a*) veſtis, & habitus incompoſitus, & morum ſimplicitas, & ſermo ſimplex, & inceſſus inaffectatus, & vox minime figurata, & paupertatis contubernium, & ſui contemptus, & libera item ſolicitudo, ad miſericordiam primum pellexerunt eum, qui ea cerneret, deinde vero ad extremam perduxere perniciem: permultique inventi ſunt, qui priora illa retia quum effugiſſent, retia, inquam, ex auro, ex unguentis, ex veſtibus ſumptuoſis, ceteriſque, quæ connumeravi, contexta, in hæc longe ab illis diverſa facile inciderint, hiſque perditi tandem fuerint. Quum ergo & per paupertatem, & per opulentiam, & per habitus elegantiam, ejuſdemque negligentiam; & per mores tam compoſitos, quam incompoſitos; in ſumma quum per ea quæ dixi omnia in ſpectantis animo prælium accenditur; illumque doli, fraudes, artificia undique circumſi-

(*a*) Referri huc plane poteſt quod olim ſcripſit ad Nepotianum ſuum S. Hieronymus; *Veſtes pullas æque devita, ut candidas; ornatus, ut ſordes pari modo fugiendæ ſunt, quia alterum delicias alterum gloriam redolet. Non abſque amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt; alioquin ridiculum, & plenum dedecoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium, orariumque non habeas, gloriari.* Sed nota, quæ ſtatim ſubjunxit: *Sunt qui pauperibus paulum tribuunt, ut amplius accipiant, & ſub prætextu eleemoſynæ quærunt divitias: quæ magis venatio appellanda eſt, quam elemoſynæ genus. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic capiuntur & piſces: modica in hamo eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi protrahantur.*

Digitized by Google

cumsistunt, unde illi, quæso, respirare dabitur inter tot laqueos medio? Quasnam vero latebras nanciscì poterit? Non dico, ne vi ipse captus succumbat, (hoc enim non admodum difficile) sed ut suum ipsius animum a fœdis cogitationibus inconcussum asserat.

III. Et quidem nihil hic loquor de honoribus (*a*) malorum infinitorum authoribus. Honores enim ii, qui a mulieribus (*b*) deferuntur, temperantiæ contentionem enervant, ac pessundunt sæpenumero, si quis assiduam vigilantiam adversus hujusmodi insidias afferre nescierit. Rursus honores eos, quos viri tribuunt, nisi quis magna cum animi constantia admiserit, morbis duobus contrariis capitur, quorum alter est adulationis servitus, alter arrogantiæ amentia: dum hinc sui palpatoribus, adulatoribusque se se submittere: hinc propter honores eos, quos illi iidem tribuunt, adversus tenuiores cristas tollere, atque adeo in fastidii, ac contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. Dicta quidem a nobis sunt hæc: ceterum quam detrimentosa ipsa sint, nullus certe, nisi qui expertus sit, recte noverit. Neque enim solum hæc, verum

(*a*) Quantum in delatis honoribus periculi, quotidie sane experimur, sæpe enim nonnulli, ut ait Juvenalis.

. . . . . tolluntur in altum.
Ut lapsu graviore ruant.

Idem Satyra 10. Sejanum perstringens, ita scribit:

. . . . . Qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

(*b*) Fuerunt jam olim, hodieque etiam sunt, qui cum matronis mulierculisque familiaritatem ineunt ad aucupandum ab eis aliquod commodum: *Caveamus* (inquit S. Hieronymus in illud Isaiæ cap. 3. Mulieres dominatæ sunt eis) *ne juxta impium Porphirium matronæ, & mulieres sint nostri Senatus, quæ dominantur in Ecclesiis; & de Sacerdotali gradu favor judicat femminarum.*

Digitized by Google

ve rum longe his tum majora, tum periculoſiora ſubire illum neceſſe eſt, qui ipſe medius inter homines verſetur. At qui ſolitudine delectatur, is omnium horum immunitatem conſequitur. Cui ſi quando abſurda quædam animi cogitatio ſimile quid oculis repreſentaverit; infirma tamen, imbecillaque eſt imaginatio hujuſmodi, ac talis, ut ſtatim extingui, atque interimi poſſit; propterea quod extrinſecus materia nulla ſubeſt, qua cogitationis flamma illa coaleſcere poſſit. Ac Monachus (*a*) quidem ſibi uni tantum timet, qui ſi quando aliorum curam ſuſcipere cogitur, certe pauciſſimi illi ſunt. Illi autem, ſi forte plures erunt, tamen pauciores iis futuri ſunt, qui in Eccleſiis vivunt: iidem ſui ipſorum curas, ſolicitudineſque leviores, ac minus moleſtas præfecto ſuo exhibentes, non tam propter paucitatem, quam quod omnes illi mundanarum rerum ſecuri vivunt, ac neque liberos, neque uxorem, neque aliud quicquam id genus animo verſare poſſunt. Quæ ſane res facit, ut qui illis præfectus ſit, eos ſibi facile parentes, ac communi ſecum contubernio utentes habeat: intantum ut illorum lapſus exacte tum intueri, tum emendare poſſit. Affert autem non modicum ad virtutis ſtudia incrementum aſſidua (*b*) magiſtrorum cura.

CAP.

[*a*] Monachos à mundi conſortio diſtractos Deo magis vivere, quam ceteros, docet S. Gregorius Nazianzenus in laudem Athanaſii. At paulo inferius ſubjicit, monaſticam profeſſionem morum gravitate potius, quam corporis ſeceſſione inſigniri.

(*a*) Qualis eſſe debeat Tironum magiſter, quibuſque ornatus virtutibus, exponit eruditiſſimus Antonius Caraccciolus Clericus Regularis in Notis ad ſui Ordinis Conſtitutiones parte 2. cap. 5. & Benedictus Hæftenus diſquiſitionum Monaſticarum lib 4. tractatu 4. Optimi ſane Novitiorum magiſtri partes explevit Religioſiſſimus Franciſcus Olympius Clericus Regularis, ac vir egregiæ virtutis, ut teſtatur in ejus vita doctiſſimus Silos ejuſdem Ordinis.

Digitized by Google

CAP. III.

Difficultas functionis Episcopalis ob variam subditorum genus I. Ejusdem Episcopalis functionis difficultas respectu Dei II. Sacrificii Missæ excellentia, eique Angelorum assistentia III. Exempla de visis Angelis IV. Qui Sacerdotes constituendi, & quales hi esse debeant V.

I. EOrum vero hominum, qui Episcopo subditi sunt, bona pars vitæ humanæ curis vincti distringuntur; id quod pigriores, ignavioresque illos reddit ad spiritus opera peragenda. Unde & Episcopum necesse est in singulos, (*a*) ut sic dicam, dies sementem facere, ut ipsa saltem assuetudine doctrinæ sermonem auditorum animi retinere possint. Nam & opulentia ingens, & potentiæ amplitudo, & languor a deliciis exoriens, itemque & multa alia his addita, semina semel jacta suffocant, nonnumquam autem & spinarum densitas ne ad terræ quidem superficiem sementem ipsam decidere patitur. Adde quod afflictionis excessus, & paupertatis vis, & molestiæ assiduæ, & alia id genus prioribus illis contraria humanos animos

(*a*) Dictum est alibi, & quidem frequenter in aliis meis operibus, prædicationem Verbi Dei præcipuum esse Episcoporum munus. Hinc Benedictus XIII. doctus æque ac pius non modo frequenter concionabatur, sacrosque Catholicæ Ecclesiæ ritus explicabat, ubi Pontificias functiones exercebat, verum etiam in Episcoporum consecratione ubi illis sacrum Evangelii codicem tradens, verba illa Romani Pontificalis pronunciabat, *Acipe Evangelium, & vade prædica populo tibi commisso &c.* verbum illud, *prædica*, bis solebat repetere. Hanc sane partem Pontificalis muneris inter alios nostri ævi Zelantissimos Præsules egregie explet Religiosissimus Episcopus Chrysopolitanus Joannes Bernardus suffraganeus Herbipolensis, qui septuagenario major, assidue Verbum Dei prædicat cum magna populorum utilitate.

Digitized by Google

mos a divinarum rerum ſtudio abducunt. Peccatorum autem, quæ ſubditorum quiſque commiſerit, Epiſcopo ne minima quidem pars nota eſſe poteſt. Qui enim nota foret? quum illorum complures ne de facie quidem ille noverit? ac talem certe tantamque Epiſcopo populi regendi cura moleſtiam, difficultatemque affert.

II. Quod ſi examinare ea quis volet, quæ illum præſtare erga Deum oportet, quæ dixi, præ illis nihil prorſus eſſe comperiet: tam ingens, tam ſolicitum, tam exactum eadem ſtudium requirunt. Eum enim qui pro civitate ipſa tota, quid dico, civitate, imo vero pro univerſo terrarum orbe legatus (*a*) intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum, non viventium modo, ſed etiam mortuorum (*b*) peccatis propitius fiat: qualem, quæſo, eſſe oportet? Equidem neque Moyſis, neque Eliæ fiduciam fore unquam ſatis putaverim ad ſupplicationem hujuſmodi peragendam: quando quidem tamquam mundus illi univerſus concreditus, atque adeo omnium ſit pater, ſic ad Deum

(*a*) Docet inter alios Patres S. Gregorius Nazianzenus in primo ſuo Apologetico, Epiſcopi quidem munus eſſe animarum curam ſuſcipere, mediatoremque inter Deum, & homines agere. Quomodo is loquendi modus, quo ſancti Eccleſiæ Patres, tum Latini, tum Græci, uſi ſunt, intelligendus ſit, jam nos explicuimus in Commentariis ad Romanum Pontificale, ad quos curioſum lectorem remittimus.

(*b*) Animas mortuorum Deo precibus commendandas, eſt antiqua Eccleſiæ traditio, docentque paſſim ſancti Eccleſiæ Patres, qui etiam tradunt, jam olim pro ipſis Sacrificium Miſſæ offerri conſueviſſe. Sane teſtatur Billius in Notis ad Orationem S. Gregorii Nazianzeni in laudem Cæſarei, de celebranda mortuorum memoria, precibuſque pro ipſis fundendis, tot tantaque veterum teſtimonia inter legendum occurrere, ut ſibi nullum fidei dogma pluribus gravioribuſque Scriptorum utriuſque linguæ teſtimoniis niti videatur.

Digitized by Google

Deum ipſe accedit, deprecans (*a*) quicquid ubique bellorum eſt, extingui, turbas ſolvi, atque in horum locum, pacem, ac felicem rerum ſtatum ſuccedere: denique celerem malorum omnium unicuique imminentium, qua privatim, qua publice defunctionem poſtulans. Porro illum ipſum oportet, tanto omnibus in rebus illis præſtare, pro quibus intercedit, quantum par eſt, ut ſubditos præfectus excellat.

III. Quum autem ille, & Spiritum Sanctum invocaverit, ſacrificiumque illud horrore, ac reverentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſidue pertractato, quæro ex te, quorum illum in ordine collocabimus? Quantum vero ab eo integritatem (*b*) exigemus? Quantam Religionem? Conſidera enim, quales manus hæc adminiſtrantes eſſe oporteat? Qualem linguam? Quæ verba illa effundat? Qua denique re non puriorem, ſanctioremve eſſe conveniat animam, quæ tantum illum, tamque dignum Spiritum receperit? Per id tempus & Angeli Sacer-

[*a*] Munus Epiſcopi illud quoque eſt, orare pro ſubditis: *Omnis namque Pontifex*, inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. 5. *ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Idem in Epiſtola 1. ad Timotheum Epiſcopum, cap. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.* Quæ verba S. Chryſoſtomus, & Ambroſius in eum locum, Auguſtinus vero in Epiſtola 59. ad Paulinum, exponunt de precibus Sacrificii Miſſæ, quibus vacare proprium eſt Epiſcoporum, ac Sacerdotum.

[*b*] Notent hæc Sacerdotes noſtri temporis, quorum complures non ſine populorum ſcandalo ad celebrandum Sacrificium accedere videmus ſine ullo prorſus pietatis indicio, ac animi ſenſu, tamquam ſi eſſent rem parvi momenti facturi.

Digitized by Google

Sacerdoti adſtant, & cæleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus (*a*) eſt. Id quod credere abunde licet vel ex tanto illo ſacrificio, quod tum peragitur.

IV. Ego vero & commemorantem olim quendam audivi, quum diceret, ſenem quendam virum admirabilem, ac cui revelationum myſteria multa divinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum a Deo eſſe: ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conſpexiſſe, quatenus aſpectus humanus ferre poterat, candidis veſtibus indutorum, Altare ipſum circumdantium: denique ſic capite inclinatorum, ut ſi quis milites præſente Rege videat: id quod facile mihi ipſe perſuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui id & vidiſſet ipſe, & non audiiſſet: quod qui de hac vita emigraturi ſunt, ſi myſteriorum hujuſmodi cum pura, ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, (*b*) ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud ſacrum, hinc recta in cælum abducuntur.

V. Tu vero nondum exhorreſcis talem hanc animam in tam ſacroſanctum introducens myſterium? eumque, qui ſordidas veſtes induerit, in Sacerdotum dignitatem, collegiumque cooptas, quem tamen a

(*a*) Altari Angelos adſtare, præſertim vero dum Sacrificium peragitur, fuſe oſtendimus in Commentariis noſtris ad Romanum Pontificale.

(*b*) Vide quanta ſit Euchariſtiæ virtus, ut rite ac chriſtiane a moribundis ſuſcepta, potens ſit eorum animas ad cælum recta perducere. Hinc ſemper Eccleſia ſolicita fuit, ut non niſi ſacro percepto Viatico Chriſtiani homines ex hoc mundo exirent.

Digitized by Google

reliquo convivarum choro Christus (*a*) expulit? Luminis instar universum orbem illustrantis Sacerdotis animum splendescere oportet; noster autem tantum habet tenebrarum ex prava conscientia circumfusarum, ut vereatur, ac reformidet fixis, intentisque, oculis cum fiducia dominum suum obtueri. Sacerdotes terræ sunt (*b*) sales, nostram autem insipientiam, omnibusque in rebus imperitiam, quotus quisque est, qui facili, patientique animo ferat, præter vos ipsos qui me nimia quadam amoris abundantia prosequi consueviſtis?

CAP. IV.

Prudentia, & experientia rerum Episcopo necessaria I. Quantum distet professio Monachi, & Præsulis II. & III Inter fluctus virtus gubernatoris spectanda IV. Integritas Monachi non tam admiratione digna, quam Præsulis V. Humilis Chrysostomi de se ipso sensus, & confessio VI. & VII. Ineptum se prorsus ad Episcopatum censet VIII. Monachos fere inidoneos esse putat ad munus Episcopale, eisque fere deficere dotes in Episcopo requisitas IX.

NEque enim solum, sicut dixi, purum, mundumque Sacerdotem esse oportet, ut qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam in primis prudentem, atque adeo multarum rerum experientia instructum, ornatumque, in tantum, ut quæ ad victum, cultumque pertinent, ea omnia nihilominus noscat, quam norunt ii, qui in media hominum turba

[*a*] Alludit ad locum Matthæi, cap. 22. ubi homo, qui accesserat ad convivium non vestitus veste nuptiali, ligatis manibus & pedibus ejus missus fuit in tenebras exteriores.

(*b*) Matthæi quidem cap. 5. vocantur Apostoli sal terræ, & consequenter Episcopi, qui in eorum locum succedere.

Digitized by Google

ba versantur: rursus rerum omnium mundanarum securior vivat, quam Monachi, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam quum illum necesse sit, eorum hominum consuetudine, ac colloquio uti, qui & uxores habent, & liberos alunt, & servos possident, quique & divites admodum sunt, & publice negotiantur, & potentia pollent: eumdem certe varium esse convenit. Varium autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissimulatorem, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum: ac qui ex re se se submittere, atque obsecundare sciat, quoties negotiorum usus postulat: quique idem benignus sit, & austerus. Neque enim unum dumtaxat in modum subditis omnibus (*a*) uti licet, quando neque medicis ipsis convenit, ut eos omnes, qui morbo laborant, uno eodemque modo tractent: neque gubernatori, ut unam tantum artem calleat, qua adversus ventos depugnet. Etenim Sacerdotii navem assiduæ tempestates circumsistunt. Hujusmodi autem tempestates non solum extrinsecus adoriuntur, sed etiam intrinsecus enascuntur: quo fit, ut Sacerdos diligenter accomodare se se ad multos, ac de jure suo quodammodo concedere debeat. Quæ omnia vel inter se pugnantia ad unum hunc finem spectant, nimirum ad Dei optimi laudem, atque Ecclesiæ ædificationem.

II. Monachorum certamen ingens, ac labor multus est. Verum si conferre quis volet instituti illius sudores cum recte administrato Sacerdotio: certe tantum esse inter illa duo discrimen comperiet, quantum est inter privatum, ac Regem intervallum. Nam illic quamquam magnopere laborandum, tamen labor, concertatioque hujusmodi, corporis,

(*a*) Multa scitu digna de hac re videri possunt in celebri Apologetico 1. S. Gregorii Nazianzeni.

atque animi communis est : seu, ut verius dicam, labor hujusmodi majori quidem ex parte corporis constitutione absolvitur. Quod quidem nisi valens fuerit, animi promptitudo in se ipsa vertitur, ac veluti solivaga, & jejuna manet, non habens quemadmodum in opus exeat. Quippe contento studio jejunare, humi decubare, advigilare, illoto esse corpore, multum desudare, & cetera id genus, quæ Monachi ad durandum, affligendumque corpus sibi exercenda (*a*) proponunt, statim omnia depereunt, nisi quod castigandum est, sufferendis afflictionibus illis par fuerit. Hic vero nuda simplicis animi arte opus est, ac certe tali, quæ corporis habitudine nihil indigeat, ut suam ipsius virtutem prodat. Quid enim nobis præsidii corporis robur ad id conferre possit, ut neque perfracti, neque iracundi, neque procaces simus? sed sobrii potius, casti, honesti, aliisque animi virtutibus instructi, per quas beatus Paulus optimi Sacerdotis imaginem numeris suis omnibus absolutam esse voluit? quod ipsum dicere non possis de ea virtute, quam Monachus præstare debet.

III. Ac quemadmodum his, qui arte mechanica, stupenda quædam faciunt, necessaria quidem est instrumentorum, rotarum, funium, gladiorum copia, varietasque: contra Philosophus universam artem, in animo reconditam habet, externarum rerum nihil indigens: sic & hic monachus eo amplius bona indiget corporis habitudine, & convenientia item rerum locorumque ad vitam illam commodorum: ut ii loci neque ita multum ab hominum conspectu remoti, solitudi-

(*a*) De variis antiquorum monachorum exercitationibus fuse disserit Cassianus, & Chrysostomus noster alibi passim. Vide Hæstenum in suis Monasticis disquisitionibus, & Altaserram in in opere quod inscripsit: *Originum rei monasticæ*.

Digitized by Google

litudinis tamen otium, quietemque habeant: neque iidem optima anni, atque aeris temperie careant. Nihil enim esse possit intolerabilius ei, qui abstinentiis jejuniisque corpus suum macerat, quam cæli, atque aeris intemperies, ut fileam hic quam multa Monachis ipsis negotia necessario exhibeant, tum vestium (a) confectio, tum vitæ cura: quippe quum certatim etiam contendant omnia per se opera peragere. Sacerdoti autem, quod ad ipsius usus pertinet, nihil his opus fuerit, utpote qui se se quum minime curiosum, tum promiscuum omnibus his in rebus, quæ damnum non afferant, præstare, tum vero scientiam omnem in animi sui thesauro reconditam habere debeat.

IV. Quod siquis admiretur, laudetque Sacerdotem eum, qui sibi ipse vivens domi se contineat, ac multorum consuetudinem, usumque aversetur, equidem hoc patientiæ specimen aliquod esse dixerim: non tamen idoneum id argumentum virtutis omnis ejus, quæ illius animo inesse debet, affirmaverim. Nam qui intra portum ad gubernaculi regimen assi-

(a) Laboraſſe olim Monachos manibus ſuis, ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum: *Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque operis labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſalutem.* Idem de ſe ipſo addit in Epiſtola ad Marcum Presbyterum: *Nihil alicui præripui, nihil otioſus accipio, manu quotidie, & proprio ſudore quærimus cibum, ſcientes ab Apoſtolo ſcriptum eſſe: Qui autem non operatur, nec manducet.* Scripſit S. Auguſtinus librum de opere Monachorum, de eoque labore paſſim antiqui Patres differunt, quos recenſet laudatus Altaſera lib 5. cap. 7. & ſeqq. Porro Maſſaliani hæretici, qui ſeculo 4. Eccleſiam infeſtabant, illud primum jeciſſe dicuntur ſtruendæ impietatis fundamentum, ut quod Dominus Lucæ 18. admonuiſſet, oportere ſemper orare, cetera cuncta eſſe parvi vel nullius momenti aſſererent, conjunctumque monaſticæ diſciplinæ opus manuum prætermitterent.

Digitized by Google

det, is non continuo ſufficiens artis periculum præbet: at vero qui in medio mari collocatus navem, ſæviente tempeſtate erigere potuit, hunc certe nemo eſt, qui optimum gubernatorem eſſe neget.

V. Proinde ne Monachum quidem magnopere, ac ſupra modum admiramur, quod is apud ſe vivens neque commoveatur, neque in multa, ac magna peccata prolabatur. Neque enim ei res illæ adſunt, quibus ipſe animo irritetur, exſtimuleturque. At vero ſi quis ſe ipſe turbis univerſis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus quum eſſet, inconcuſſus, immotuſque perſtiterit, animum ipſum, vel tempeſtate actum, tamquam in malacia ac tranquillitate gubernans, hic profecto dignus eſt, quem omnes plauſu, atque admiratione proſequantur: abunde enim ſuæ ipſe virtutis periculum fecerit. Ne te igitur admiratio ſubeat, ſi qui a foro, atque a populari conſuetudine abhorremus, accuſatores multos non habeamus.

VI. Neque enim ſi quum obdormirem, non deliqui; neque ſi quum non colluctarer, non cecidi; neque ſi quum non depugnarem, non percuſſus ſum, mirari oportuit: quis enim, obſecro, quis, inquam, deferre poterit, ac detegere flagitium meum? Tectumne, cubiculumque hoc? At in vocem erumpere non poſſit: an mater potius, cui uni in primis res omnes meæ notæ ſunt? At ne cum illa quidem mihi quicquam commune eſt, neque ipſi inter nos in rixam contentionemque unquam venimus. Id quod etiam ut acciderit, equidem nullam eſſe matrem exiſtimo ſic a pietate, charitateque alienam, ſic a liberorum amore abhorrentem, ut quem parturierit, peperit, educaverit, nulla cauſa impellente, ac nemine cogente, eum palam vituperare, ac criminari ſuſtineat.

VII.

Digitized by Google

VII. Nam si quis alioqui meum ipsius animum exquisite excutere velit, certe permulta in eo (*a*) desiderabit. Id quod ne tibi quidem incognitum est, qui me tamen apud omnes laudibus in cælum efferre consueviſti. Ac sane quod non extenuandi mei nomine hoc pronunciem, reminiscere, si placet, quoties tibi dixerim, quum hujuimodi sermo identidem inter nos incidisset, si quis optionem mihi proponeret, utrum ego institutum sequi, inque eo clarescere mallem, in Ecclesiæ ne alicujus præfectura, an in monachali solitudine: me prius illud vitæ genus mille calculis antepositurum. Neque enim cessavi unquam illos apud te suspicere, qui munere illo juste defungi possent: me vero id munus non detrectaturum fuisse, quod tantopere magnifacerem, si modo illi probe pertractando par fuissem; nemo certe contradicturus est. Verum quid facerem?

VIII. Equidem nihil minus utile, minusque aptum esse puto ad Ecclesiæ præfecturam administrandam, quam animi mei pigritiam hanc, atque socordiam: quam tamen alii exercitationem esse existimant: at ego ipsam quasi meæ imbecillitati velamen prætendo. Qua quidem ex iis, quæ in me desiderantur, plura obtego, neque se se prodere patior. Quisquis enim tanti otii fructum capere, multaque in quiete vitam transigere assueverit, ut magno etiam ingenio præditus sit, is sane, siquid agendum est, in quo tirocinium

[*a*] Nota & hic humilitatem Chrysostomi, qui sua vitia prodere non erubescit. Certe magnam exhibuit humilitatem S. Augustinus, qui in libris suarum confessionum cuncta anteactæ vitæ suæ scelera nota omnibus fecit. Eum quidem nostris temporibus imitatus est Ven. Dei Servus Bonfignorius Cacciaguerra nostræ Congregationis Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter, qui passim in suis Epistolis, & libris anteactæ vitæ suæ peccata recenset.

Digitized by Google

non posuerit, animo statim turbatur, ac percellitur, obtunduntur que magna quidem ex parte facultates, vires que illius omnes, nisi eas antea ad ipsum, quod facturus est, probe exercuerit. Qui si forte simul & tardo ingenio sit natus, & certaminum hujusmodi expers fuerit, suscepta ista Sacerdotii administrandi provincia, nihil prorsus quod nostrate verbo dicitur, a statuis distabit.

IX. Quamobrem pauci (*a*) admodum existunt, qui ex palæstra illa in hæc certamina descendant: quot quot autem descendunt, ex iis plures se se, quales sint, produnt: tum vero animis concidunt: denique insuaves, atque acerbas se se res devorare intelligunt. Nec abs re quidem illud. Quum enim non eadem sunt, neque iisdem de rebus proposita certamina, exercitationesque, tum fit, ut qui decertat, ab eo qui prorsus inexercitatus est, nihil discrepet. Gloriam inprimis contemnere eum oportet, qui in stadium istud decertaturus descendit, iram superare, ac multa prudentia abundare. Huic autem, qui solitariam vitam amplectitur, nullus prorsus exercitationis campus propositus est. Nam neque irritantes habet multos, ut hac ratione meditetur, ac se se exerceat in coercenda animi excandescentia: neque rursus palpatores, & applausores, ut hac item ratione

(*a*) Ex quo Monachi in Clerum asciti sunt, permissu scilicet Siricii Papæ, proximus eis gradus ad Episcopatum fuit, votisque certantibus populorum e Monasteriis vocati sunt Episcopi. Atque, ut alios omittam, in Vita S. Martini lib. 1. ita scribit Severus Sulpitius: *Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati Magistri instituebantur: pluresque ex his postea Episcopos vidimus, Quæ enim esset Civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotem?* Millia Episcoporum e Monachis prodiisse, qui quidem Ecclesiam Dei illustrarunt, Ecclesiastica testatur Historia.

Digitized by Google

ne popularem auram respuere discat. Propterea hoc hominum genus non admodum laborat, eam sibi parare animi prudentiam, quam Ecclesiæ administratio requirit; quo fit, ut quum in ea certamina descenderint, quorum nullum antea periculum fecerint, hæreant ipsi, hallucinentur, ineundi consilii inopia laborent; atque adeo præterquamquod ad virtutem progressionem nullam faciunt, eas etiam dotes, quas secum attulerant, plerique plerumque deperdunt.

CAP. V.

Qui in convictu hominum incorruptos mores servare norunt, hos episcopatu dignos videri I. Magistratus virum ostendit II. Mulierum consuetudo, & aura, quantum onus & periculum Episcopis III.

I. TUM BASILIUS. Quid igitur? Eos ne qui in media hominum turba versantur, ac vitæ hujus cultum, negotia, curas sequuntur, quique iidem ad rixas, ad pugnas, ad maledicentias occalluere, sexcentis ingenii facultatibus, artibusque instructi, deliciisque affluentes, Ecclesiæ regimini præficiemus?

CHRYSOSTOMUS. Bona verba, inquam. Hujusmodi enim hominum ne in mentem quidem tibi venire debet, quum de Sacerdotum delectu agetur. At vero si quis existet, qui vel multorum hominum usum, convictumque ferens, possit item animi puritatem, constantiam, sanctimoniam, tolerantiam, sobrietatem, ceteraque virtutes, quæ monachis insunt, magis etiam incorruptas, atque inconcussas servare, quam ipsi etiam monachi servent: hic tibi sane deligendus erit, quandoquidem quisquis vitiis multis quum laboret, eadem illa potest solitudine dissimulare,

atque

atque obtegere, ſicque intra ſe continere, ne in opus erumpant; propterea quod nullorum convictu hominum utatur: hic certe, ſi in medium acceſſerit, nihil inde lucri aſſequetur, niſi quod tum ridiculus futurus eſt, tum etiam majus periculum ſubiturus. Id quod nobis propemodum accidiſſet, niſi Dei optimi providentia ignem hunc a capite ſtatim meo defendiſſet.

II. Neque enim diſſimulare ſe ipſe poteſt, qui moribus iis fuerit, quum in luce hominumque cœtu verſatur: verum quoquo ſe ille vertat, ſtatim proditur, ac quemadmodum fit, ut metallicas materias ignis probet, ita & Cleri exacta probatio mortalium animos ſecernit, atque (*a*) internoſcit: ac ſiquis eſt, vel iracundus, vel puſillanimis, vel gloriæ appetens, vel arrogans, vel alio quovis animi morbo obſeſſus, id omne detegit, ac latentes ſtatim morbos denudat: neque vero denudat ſolum, ſed etiam tum aſperiores reddit. Nam ut corporis vulnera attritu ipſo fiunt curatu difficiliora, ſic natura comparatum videmus, ut animi morbi, ſi irrites exaſpereſque, magis, ac magis rebellent, atque increſcant, dominorumque ſuorum peccata augeant. Etenim ad ambitionem ſtatim attollunt, impelluntque eum, qui ſibi cavere, atque imperare neſciat: itemque ad arrogantiam, avaritiamque, clam autem ad delicias pertrahunt, ad animi remiſſionem, ad ignaviam, ac pedetentim ad alia deinceps indidem enaſcentia. Multa enim alia ſunt vitia iis quæ connumeravi interjecta, quæ animi vim enervare, curſumque ipſum divini ſtudii interpellare poſſunt.

III.

(*a*) Notum eſt proverbium illud: *Honores mutant mores*. Verum non ſemel accidit, ut honores ipſi, vel gradus, in quibus aliqui conſtituti ſunt, malitiam eorum antea & in vita privata cælatam prodant.

Digitized by Google

III. Atque in primis mulierum usus consuetudoque. Neque enim potest Antistes, qui gregis universi curam suscepit, viris tantum curandis operam dare, mulierum autem curam negligere, qua in parte magna profecto opus est providentia, quod facile ad peccandum quisque proclivis sit: sed illum oportet cui administrandus Episcopatus forte obvenerit, pro illarum salute, si non majorem, at parem certe curam, studiumque impendere. Nam & eas invisere, ægrotantes, & solari lugentes, & adjuvare afflictas oportet: quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon invenire potest, nisi exactissima quis, ac munitissima custodia (*a*) se se vallaverit, quippe animum ipsum ferit, ac commovet non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus: præterea & & palpationes emolliunt, & honores mancipant. Tum vero charitas fervens, eadem bonorum omnium author, iis,

(*a*) Cautiones à sacris hominibus adhibendas, ubi illis cum feminis agendum est, docet quidem S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum: *Si propter officium Clericatus* inquit, *aut Viduæ visitatur, aut Virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acoluthus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola, secreto, & absque arbitro, vel teste, non sedeas.* Celebre est S. Augustini exemplum, de quo ita scribit in ejus vita Possidius cap. 27. *In visitationibus vero modum tenebat ab Apostolo* (ideſt Jacobo in Epistola sua cap. 1.) *definitum, ut non nisi pupillos, & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab ægrotantibus ad hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Feminarum autem Monasteria non nisi urgentibus necessitatibus visitabat. Servandum quoque in vita, & moribus hominis Dei referebat, quod in institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam posceret.* S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de Sacerdotibus loquens ait: *Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet.*

Digitized by Google

iis, qui ea recte uti nesciunt, malorum omnium (a) author fit. Aliquoties autem & solicitudines assiduæ mentis acumen hebetant, eumque qui animo volucri, ac pernici sit, plumbo graviorem reddunt: denique & ira, quæ in animum forte invaserit, fumi instar, interiora omnia a se occupata involuit.

CAP. VI.

Non esse contemnendas vulgi suspiciones quamvis falsas I. Amputandas omnino malarum suspicionum causas II. Difficultates Episcopalis muneris quot & quantæ III.

I. JAM quis reliqua enumeret incommoda, contumelias, violentias, incusationes, non solum quas viri magni & prudentes, sed etiam quas tum tenuiores, tum imprudentes intendunt? Hoc enim hominum genus quum recto animi sensu, ac judicio careat, conqueri, atque expostulare nunquam cessat, excusationes, quibus te adversum illos defendas, haud facile unquam admittentes, Porro & Antistitem, qui bonus sit, oportet ne istos quidem contemptui habere, sed multa cum humanitate, facilitate, comitate, omnium criminationes diluere; injustas potius accusationes condonantem, quam eas ægre ferentem, ac succensentem. Sic enim beatus ille Paulus veritus est, ne furti apud discipulos suspectus esset; quo nomine & alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit: (b) *Ut ne quis*, inquit, *nos carpat in*

(a) Afferri ea in re possent innumera pene exempla, quibus quot prætextu, & causa charitatis Viri insignes, qui familiaritate utebantur cum feminis, prostrati sunt. Vide egregiam dissertationem Theophili Raynaudi, *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros & religiosos homines*.

[b] 2. Ad Corinthios 8.

Digitized by Google

in hac exuberantia, quæ a nobis administratur: quomodo non omnia a nobis agenda sunt, ut malas a nobis suspiciones amoveamus quantumvis licet falsas, iniquas, & ab ea quam habemus, opinione alienas? A nullo enim peccato tantum absumus, quantum a furto aberat Paulus. Attamen tantum ille quum abesset a pravo hujusmodi facinore, ne sic quidem negligendam sibi putavit communem multorum suspicionem, etiamsi admodum iniquam, atque insanam. Insania enim mera, tale quid suspicari de beato illo atque admirabili Pauli animo. Nihilo tamen minus quum hujusmodi suspicio sic iniqua, atque absurda foret, ut in nullius animum, nisi ejus, qui mente alienata esset, influere posset, causas ille a se omnes procul amolitur, neque vero vulgi amentiam despexit. Quis tandem vestrum talia de nobis suspicari sustineat, quum nemo vestrum sit, qui nos tum ex signis miraculisque, tum ex honestate, atque integritate non revereatur, atque admiretur? Imo contra & suspicatus ille est, & expectavit pravam hanc de se suspicionem, atque iccirco radicitus eam avellit, seu, ut verius dicam, prorsus ne quidem exoriri eam permisit. Quamobrem? *Procuramus enim*, inquit, *quæ honesta sunt, non modo coram Domino, sed etiam coram hominibus*. (*a*)

II. Tantum certe oportet, imo vero longe majus studium adhibere, ut malas opiniones, non solum dum erumpunt, divellamus, arceamusque, sed & procul unde erumpere possint, prospiciamus; atque adeo causas ipsas, e quibus enascantur, longe ante tempore interimamus; non etiam dum coalescunt, & in vulgi ore versentur, ac divulgentur, expectemus. Tum enim haud proclive fuerit illas delere, sed admodum difficile

(*a*) Ad Romanos 10.

difficile: fortasse etiam nulla eas arte tum extinguere valeas. Neque vero tum res noxa careat, propter quod hoc ipsum fiat quo tempore multorum conscientiam jam læseris.

III. Sed enim quousque tandem immorabor in persequendis iis, quæ oratione quidem assequi minime ipse possim? Quippe difficultates eas omnes recensere velle, quas Episcopum tolerare oportet, prorsus nihil aliud fuerit, quam maris altitudinem emetiri. Nam, ut etiam ille ab omni animi perturbatione vacet, id quod assequi nemo certe potest, tamen emendandis, corrigendisque aliorum delictis labores, ærumnasque infinitas perferre necessario cogitur. Quibus quidem si domesticos, peculiaresque morbos addideris, hic tu contemplare laborum pelagus, curarumque abyssum, & quæ Episcopo tolerandæ erunt, volenti & domestica, & aliena mala edomare.

IV. Atque hic BASILIUS. Nunc vero, inquit, nullus ne tibi labor hujusmodi subeundus, nullæ ne animum tuum curæ in solitudine ista excruciant?

CHRYSOSTOMUS. Excruciant quidem, inquam, vel hodie. Qui enim potest is, qui homo quidem ipse sit, ac vitam hanc ærumnosam vivat (*a*), a curis, laboribus, angustiis liber evadere? Verum haudquaquam certe paria inter se sunt, immensum pelagus emetiri, & fluvium aliquem navigio transmittere; tam ingens enim has inter & illas curas interjectum est intervallum. Equidem si hodie possim usui aliis esse, id utique desideriis, votisque omnibus concupiscam: sin id præstare non possim: at mihi

(*a*) Sapientissime ait Sanctissimus Job cap. 7. *Militia est vita hominis super terram*. Ubicumque enim extiterit homo, vitæ præsentis bellum, ac pressuras experietur.

Digitized by Google

mihi certe factum satis putabo, si me servare, atque a tempestate eximere dabitur.

Tu vero, inquit BASILIUS, hoc ipsum magnum esse censes? Prorsus autem & te servatam iri putas, qui alios nulla re juveris?

CAP. VII.

Longe gravius puniendos a Deo Prælatos Ecclesiæ, quam alios I. & II.

I. CHRYSOSTOMUS. Bene, ac recte, inquam, eloquutus es. Neque enim id mihi persuasi, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi sui salute nihil laboris impenderit, quum neque miserum illum quidquam juverit talentum sibi traditum non imminuisse; imo hoc ille nomine periit, (*a*) quod illud non auxisset, duplicassetque. Verumtamen levius mihi supplicium adfore puto, si accuser, cur non & alios servaverim, quam si & me una cum illis perdiderim, tanta ista Sacerdotii dignitate suscepta longe ipse deterior, sceleratiorque effectus. Equidem nunc mihi persuadeo fore, ut tantum mihi supplicium irrogetur, quantum peccatorum a me perpetratorum magnitudo postulat, qui si principatum (*b*) hunc suscepero, tum me sane pœnam pendere oportebit, non duplam, triplamve, sed longe item graviorem, hoc ipso, quod simul plures læserim, simul post majorem honorem a me acceptum, Deum optimum, qui me honore illo dignatus fuerit, offenderim. Propterea enim Deus Israelitas acrius accusans, ob id ostendit, majori illos pœna dignos, quod peccaverint post honores ad ipso

[*a*] Alludit ad locum Matthæi 3.

(*b*) Durissimum fieri de iis judicium, qui præsunt, quemadmodum & paucos de Prælatis salvari, dictum superius fuit.

ipſo acceptos, aliquoties in hæc verba eos compellans: (*a*) *Atqui vos delegi ex omnibus terræ tribubus, propterea vindicabo in vos impietates veſtras.* Alias autem: (*b*) *Aſſumpſi ex filiis veſtris, qui eſſent Prophetæ: itemque ex adoleſcentibus veſtris, qui mihi ſancti eſſent.* Atque adeo ante Prophetarum tempora oſtendere volens Deus, hominum peccata longe majori ſupplicio expiari, dum a Sacerdotibus, quam dum a privatis perpetrantur; mandat (*c*), ut tantundem pro Sacerdotibus, quantum pro univerſo populo ſacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud ſignat, quam Sacerdotis vulnera majori medicamento, atque auxilio indigere; atque adeo tanto, quanto conjuncta ſimul univerſi Populi vulnera indigent? Porro majori nequaquam indigerent, niſi ea graviora forent. Atqui graviora certe fiunt, non natura ipſa, ſed Sacerdotis, qui ea commiſerit, conditione, ac dignitate.

II. Ceterum quid hic nos de viris verba facimus, qui miniſterium pertractantes ſacris operantur? quum & Sacerdotum filiæ (*d*) quibus ipſis nihil cum Sacerdotio commune eſt, propter dignitatem paternam, eorumdem peccatorum pœnam multo acerbiorem ſuſtineant. Ac peccatum quidem par, æqualeque, tum quod illæ, tum quod privatorum hominum filiæ perpetrarint: utrumque enim mœchatio eſt; at mulcta illis irrogata multo ſeverior. Cernis, quam abunde Deus declaret, longe majus ſe ſe ſupplicium a principe, quam a ſubditis exigere? Neque enim qui in filiam, propter ejus patrem, gravius quam in alias quaſcumque animadvertit; a patre ejuſdem qui ipſi auctuarii pœnæ in filiam irrogandæ auctor ſit, parem, eandemque cum multis pœnam exiget, ſed multo ſane graviorem.

Id

[*a*] Amos 3. (*b*) Amos 2. (*c*) Levitici 4. (*d*) Ibid. 21.

Digitized by Google

Id quod vel maxime conſentaneum eſt: non enim damnum inde exoriens in illum tantum recidit; verum & infirmorum, & eorum item omnium, quorum oculi in illum converſi ſunt, animos lædit. Hoc ipſum & Ezechiel (*a*) docere volens ſeparat, ſecernitque arietes ab ovibus.

CAP. VIII.

Inductione ſuorum defectuum, & imperfectionum, oſtendit Chryſoſtomus, ſe jure merito refugiſſe Epiſcopatum I. Motus animi facilius in vita privata, quam in dignitate componi II. Affectus in Chryſoſtomo varii, & quænam ſint paſſionum fomenta III. & IV.

1. ANne tibi nunc videmur juſto terrore percuſſi fuiſſe? Nam præter illa, quæ a me dicta ſunt, quamquam magnopere mihi adlaborandum eſt, ut ne penitus ab animi hujus morbis opprimar, tamen laborem ipſum ſuſtineo, nec certamen quidem ſubterfugio. Etenim animus quidem meus ab inani gloria vel hodie capitur: at ego exerto capite ſæpenumero reſipiſco, ac me captum eſſe intelligo, atque adeo aliquoties captum, ſervilemque animum increpo. Obrepunt mihi vel hodie abſurdæ quædam appetentiæ: ſed quæ remiſſiorem incendant flammam, propterea quod oculis extrinſecus materia nulla ſuppetat, qua ignis conceptus foveatur. Vaco autem prorſus ab oblocutionibus, maledicentiiſque, quas vel in alios contorqueam, (*b*) vel ab aliis in me contortas audiam: quum nullos habeam, quibuſcum ſermones

[*a*] Ezechielis cap. 34.

(*b*) Vide & hic iterum humilitatem Chryſoſtomi, quomodo ſuas fatetur imperfectiones, ne ſcilicet fieret Epiſcopus, quum alii paſſim merita ſua, & animi virtutes jactitent, ut Epiſcopatum obtineant.

Digitized by Google

ipse meos conferre possim. Neque enim privati hi parietes vocem edere valent.

II. Sed nec iræ quidem moderari perinde possum, etiamsi nullus adsit, a quo irriter. Sæpe enim quum mihi in mentem venit ineptorum quorumdam hominum facinorumque ab illis perpetratorum, tum certo fit, ut animo intumescam, (*a*) commovearque, qui tamen animi motus non ad finem usque decurrit. Statim enim excandescentem illum compescimus, persuadentes, ut conquiescat, præsertim ubi illum docuerimus insulsissimum esse, extremæque infelicitatis, suis aliquem malis comodisque prætermissis, in alienis curiosum esse. Qui si in multitudinis consortium me conferam, perturbationumque illarum infinitate occuper: jam non liceat admonitione hujusmodi perfrui, neque rationes eas comminisci, quibus animus mihi meus sic instruatur, atque erudiatur. Sed quemadmodum fieri videmus, ut qui fluctu rapiente', aut alia vi in caput præcipites feruntur, possint quidem interitus sui finem prospicere, at salutis rationem inire non item: sic & ipse, si in multum illum morborum tumultum irruero, potero quidem supplicium meum intueri in dies magis ingravescens; mihi autem constare: quemadmodum & mihi nunc consto, ac morbos hujusmodi undecumque rabientes increpare, non perinde facile atque antea.

III. Mihi enim animus imbecillis, exiguus, & captu admodum facilis, non ab his tantum morbis, sed & ab invidentia, morbo omnium longe molestissimo, qui

[*b*] Recte hoc sibi vitio vertit Chrysostomus: nam ut ait Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 15. *Debemus nos formiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Et rursus in Epistola ad Galatas cap. 6. *Fratres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tenteris.*

qui animus neque contumelias, neque honores, moderate ferre potest, quin potius supra modum ut his attollitur, ita illis deprimitur. Ergo quemadmodum ferarum immanium est, ut dum læto saginatoque corpore gestientes luxuriant, facile eos vincant, qui secum depugnent, præsertim si illi imbecilli, ac pugnandi minime periti fuerint: sin vero eas quis fame maceravit, strigosasque effecerit, tum fiet, ut illarum furorem sopiat, ac virium bonam partem sic contundat, ut qui non admodum generosus, fortisque sit, possit cum illis facile decertare, ac depugnare: sic & animi morbos quisquis infirmos reddiderit, certe sub rationis gyrum facile reducit. Rursus quisquis exquisite educaverit, molestiorem sibi adversus illos pugnam constituit: atque hac demum ratione sic adversum se terribiles, efferosque reddit, ut cogatur (in perpetua tum servitute, tum formidine vitam transigere. Quænam igitur belluarum istarum alimenta? Inanis quidem gloriæ alimenta, sunt laudes, atque honores. Contumaciæ, potentiæ, atque adeo licentiæ magnitudo. Invidiæ, alienæ famæ celebritas. Avaritiæ, largientium liberalitas. Intemperantiæ, deliciæ, atque assidui mulierum congressus. In summa, ne hic de singulis agam, alimentum aliud, aliud peccatum alit. Proinde belluæ hæ omnes me, si in medium hominum cœtum accessero, magno impetu adorientur, animumque hunc conturbabunt: tum vero terrorem afferentes molestiorem mihi adversum se pugnam efficient. Ceterum tantisper dum solitudinem (*a*) hanc colo, quamquam cum illis etiam luctans,

(*a*) De solitudinis ac vitæ anachoreticæ commodis fuse disserunt sancti Patres, inter quos videri possunt sanctus Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Cassianus, & alii plurimi, apud Busæum in libro, *De statibus hominum*, cap. *De Eremitarum statu*.

Digitized by Google

tamen Dei optimi gratia adjutus, eas sic domo, sic subjicio, ut præter latratum, nihil habeant.

IV. His de causis in hoc me ipse cubiculo contineo, his de causis facile patior, alios quærentes nemini ad me aditum patere, contuberniumque, ac convictum meum cum nemine communem esse: quumque infinitas in me id genus criminationes congerunt, quas equidem lubens abstergerem, sed quando id non licet, quod proximum quidem est, animum hunc dolore conpungo, ac molestia excrucio. Neque enim proclive mihi est, uno eodemque tempore tum hominum consuetudine uti, tum hac in animi securitate, ac præstantia persistere. Quo fit, ut te ipsum exhorter, eum potius miserari, quam calumniari ut velis, qui tanta difficultate interceptus sit.

CAP. IX.

Arcanum animi sensum Chrysostomus Basilio detegit I. Chrysostimi timor & tristitia de fama Episcopatus ad se deferendi II. Animi sui æstum & angorem explicat III. Pulchra & eleganti comparatione ostendit, quam sit indignum, Ecclesiæ Prælaturam indigno committi IV. Alia comparatione longe elegantissima, acierumque duarum bellicarum descriptione declarat, quam sit indignum regimen animarum rudibus, & inexpertis committi V.

1. AT vero ipse tibi, quod video, nondum oratione mea persuasi. Itaque appetere jam tempus reor, ut, quod unum mihi supereſt arcanum, id in sinum tandem tuum effundam, etiamsi multis id fortasse tale futurum sit, ut credi minime debeat: me vero, quicquid id est, ne hac quidem ratione evulgare pudebit. Nam ut illud a me evulgatum futurum sit tum malæ

malæ hujus conscientiæ, tum infinitorum peccatorum argumentum: tamen quum non alius, quam Deus ipse, cui uni nihil certe occultum est, de nobis judicium facturus sit; quid nobis tandem lucri, quid emolumenti ex hominum ignoratione hac in parte accedere poterit?

II. Quodnam igitur arcanum hoc est? Ab eo ipso die, in quo tute mihi Episcopatus suspicionem hanc injeciisti factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur; tam ingens pavor, tam ingens mœstitia animum meum occupavit. Nam quum apud me considerarem (a) Christi sponsæ gloriam, sanctimoniam, venustatem spiritualem, prudentiam, ornatum; tum vero animi mei vitia expenderem, fiebat ut assiduis tum illam, tum etiam me gemitibus luctibusque persequerer: quo in animi angore, doloreque dum essem, hisce memet ipse verbis conveniebam: Quisnam consilii hujus author fuit? Quid tandem tantum peccavit Dei Ecclesia? quænam tanta res ipsius Ecclesiæ Dominum excitavit, induxitque, ut illam ipsam tanto cum ejus dedecore mihi mortalium omnium ignominiosissimo regendam traderet? Hæc ipsa mecum identidem reputans, dum absurditatis, indignitatisque hujus ne cognitionem quidem animo sustinere valerem; fiebat, ut eorum instar, qui attoniti sunt, stupens, neque cernere, neque audire quicquam possem.

III. Ab hæsitantia autem, ac consternatione hujusmodi, quum animus tandem meus dimissus esset, facessebat enim, intermittebatque illa nonnumquam, succedebant lacrymæ, ac mœstitia, tum vero post lacry-

(a) Quot verba hic profert Chrysostomus, tot profecto puncta sunt meditationis, quibus qui Episcopatus ambitione laborant, ab ea febri facile liberari se possent. Sed recte ait Propheta Jeremias, cap. 2. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

Digitized by Google

marum satietatem tursus insinuabat se se timor, animum hunc commovens, conturbans, (a) concutiens. In tanto ego æstu antea vixi, quum id ipse ignorares, meque in tranquillitate victitare existimares. Ego vero tibi hic animi mei æstum detegere tentabo: hinc enim fortasse veniam mihi dabis, meque tandem insimulare desines. Qui igitur illum detegam? Nam si eum aperte oculis istis cernere velis, id nimirum haud aliter liceat, quam corde hoc tibi per me prius detecto, nudatoque. Quod quia fieri non potest; hic tibi interim per obscuram quandam imaginem, utcumque potero, experiar mœstitiæ meæ fumum repræsentare. Tu vero ex ipsa imagine mœstitiam tantum nostram colligito.

IV. Fingamus puellam quandam regis filiam, & ejus quidem cui terra ea universa, quæ sub sole posita est, pareat, a proco aliquo expeti: tum vero demus, novam quandam in ea inesse formæ venustatem, quæ sic humanam naturam transcendat, ut per eam puella muliebre genus universum magno admodum discrimine superet: præterea tantam illi inesse animi virtutem, ut virorum genus, eorum, inquam, qui vel antea fuere, vel futuri olim sunt, longo post se intervallo relinquat: itemque & morum honestate tanta eandem excellere, ut vel omnes philosophiæ terminos excedat: denique talem esse, ut proprii aspectus gratia, oculorumque venustas universam illam corporis totius elegantiam obscuret: addamus item, si placet, ipsius procum non ex iis tantum, quæ diximus, virginis amore ardere, sed furore item nescio quo erga illam affici: quo quidem insanissimos quosque, qui antea unquam extiterint, amatores superet; postea procum hunc, dum hoc philtro, ac

[b] Quis hæc legens non contremiscat? quis hæc ponderans, ambire Ecclesias possit?

ac furore, deflagrat, aliunde accepisse, futurum, ut puellam illam, quam miro amore depereat, tenuis quidem, atque abjectus homuncio, obscuro, atque ignobili genere natus, quique idem corpore sit mutilo, denique mortalium omnium nequissimus, in uxorem ducat: num tibi hic exiguam doloris nostri partem repræsentavimus? Satis ne tibi a me factum putas, vel finita hic a nobis imagine? Equidem satis me feciſſe puto, quod ad animi mœstitiam repræsentandam spectat, cujus unius rei gratia imaginem ipsam adhibuimus:

V. Atqui ut tibi item hic metus stuporisque nostri modum oculis subjiciam, ad aliam rursus hypothesim, descriptionemque me confero. Ponito ante oculos exercitum ex militibus, tum peditibus, tum equitibus, tum nauticis viris constantem, ac mare quidem ipsum obtegat triremium numerus: rursum ipsas camporum planities, ipsos montium vertices, hinc equitum phalanges contegant: æs item armorum oppositum soli splendorem reddat: atque e solaribus radiis & galearum, & clypeorum coruscatio vibretur: hastarum fragor, equorumque hinnitus ad cælum feratur, neque mare, neque terra appareat, ubique æs, ubique ferrum. Sint item adversus hoc instructi, armatique efferi quidam, ac truces viri: instet jam & conflictus tempus: postea rapiat quis derepente adolescentem aliquem in agro educatum, ac qui nullius prorsus artis alterius gnarus sit, quam lyræ pastoriciæ, ac pedi, eumdemque armatura ærea quum induerit, per totum illum exercitum circumiens deducat, ostendatque manipulos, manipulorum ductores, sagittarios, funditores, centuriones, duces, cataphractos, equites, jaculatores, triremes, triremium ductores, milites inibi confertos, navalium machinarum copiam: osten-

dat insuper hostium procinctam aciem universam, & aversandos, formidolosoque quosdam in illis aspectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diversum, & immensam multitudinem, & convalles, & alta præcipitia, & montium iniquitates: ostendat autem & adversarios in equis volantibus incantatione quadam insidere, & cataphractos per aerem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi, ac forma: recenseat autem & belli calamitates, missilium nubem, jaculorum nivis instar ingruentium impetum, multam illam caliginem, & tenebras, obscurissimam noctem, quam sagittarum multitudo efficiat, solis ipsius radios densitate sua avertens, pulverem tenebris non minorem omnium oculos obcæcantem, sanguinis torrentes, cadentium gemitus, stantium clamores, jacentium acervos, rotas sanguine tinctas, equos præ cadaverum multitudine una cum suis sessoribus in caput præcipites, terram universam mixtim hæc omnia continentem, sanguinem, arcus, sagittas, equorum ungulas, hominum capita simul jacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixum, cerebrum ensibus trajectum, jaculi cuspidem effractam, cui hominis oculus tamquam infibulatus hæreat; recenseat item & classis mala atque incommoda: triremes, alias in mediis aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipsis pessum euntes, fluctuum fragorem, nautarum tumultuationem, militum clamorem, spumam tum undarum, tum sanguinis mixtam, eandemque in naves simul omnes irrumpentem: cadavera, alia super ipsa navium transtra jacere, alia submergi, alia adnatare, alia ad litora æstuantis maris impetu ejici, alia intra ipsos fluctus sic obrui, ut navibus iter veluti obsepiant. Postremo quum exacte belli tragœdias omnes edocuerit, addat item & captivitatis

ptivitatis calamitates, & ſervitutem nulla non morte duriorem: ac ſecundum hæc omnia jubeat illum continuo in equum aſcendere, univerſique illius exercitus ducem agere. Num tu hic adoleſcentulum illum cenſes vel nudæ harum rerum narrationi ſuſtinendæ parem eſſe poſſe? ac non potius vel a primo ſtatim aſpectu animo defecturum?

CAP. X.

Omni pugna vehementiorem eſſe diaboli in nos aſſultum I. & II. Diaboli plagas non ſentire perniciosum III. Diabolus quam crudelis & indefeſſus hominum hoſtis IV. Unde difficilis, & periculoſus homini cum diabolo conflictus V. Chryſoſtomi excuſatio VI. Baſilii querelæ adverſus Chryſoſtomum VII. Chryſoſtomus Baſilium conſolatur VIII.

I. PRoinde ne me ipſe hic putes rem oratione attollere, neque hoc ipſo quod corpore ſic ut carcere aliquo incluſi, nihil prorſus rerum inviſibilium cernere poſſimus, magna ea eſſe ducas, quæ a me dicta ſunt. Videas enim eo prælio longe tum majus, tum horribilius, ſi tibi forte caliginoſiſſimam illam diaboli aciem, conflictumque inſanum oculis iſtis cernere liceat: non enim illic aut æs, aut ferrum, non equi, non currus, non rotæ, non ignis, non jacula iſta, quæ cernimus: verum alia quædam machinamenta iis quæ dixi longe terribiliora. Certe adverſariis iſtis nequaquam opus eſt thorace, non ſcuto, neque enſibus neque haſtis. At vero vel nudus execrandæ illius militiæ aſpectus talis eſt, ut humanam animam a corpore ipſo diſſolvere poſſit, niſi ea admodum generoſa fuerit; atque adeo antequam a viribus ipſa ſuis auxilium petat, divinæ in ſe clementiæ providentiam ſenſerit.

II.

II. Ac ſane ſi liceret corpore hoc exuto, aut una etiam cum ipſo corpore perſpicue, atque intrepide univerſam illius aciem, bellumque contra nos inſtructum ipſis oculis coram contueri, videres utique non ſanguinis torrentes, neque corpora demortua, ſed animarum lapſus tam multos, ſed vulnera ſic gravia, ut tibi ſtatim belli univerſa illa pictura, quam modo expreſſi, puerorum luſus, & ludicrum potius quam bellum videri poſſit: tam multi certe, ac frequentes ii ſunt, qui in dies ſingulos feriuntur: quorum vulnera non idem mortis genus pariunt, ſed quantum inter ſe diſſident anima atque corpus, tantum eſt certe inter mortem hanc, atque illam diſcrimen. Nam quoties plagam anima accipit, eademque cadit, hic proſtrata quidem jacet, malæ jam conſcientiæ cruciatu contabeſcens: poſtea vero quam ſeparata a corpore hinc emigravit, tempore judicii ſui (a) æterno crucianda ſupplicio traditur.

III. Quod ſiquis exiſtet, qui diaboli plagas non præſentiat, nimirum illius morbus ex ea indolentia ingraveſcit. Quemcunque enim plaga una inflicta non mordet, neque attriſtat, is certe facile & alteram excipit, itemque & hac accepta tertiam: neque enim intermittit ad extremum uſque ſpiritum feriens nefarius ille, quoties invenit animam ſupinam, prioreſque plagas contemnentem: qui ſi & congreſſus modum expendere velis, hunc certe longe acriorem, ac magis diverſum conperies. Neque enim quiſquam eſt, qui tam multas fraudis, doli, artificii

(a) Quamquam nonnulli ex hæreticis nugati ſint, animas reproborum non niſi poſt univerſale judicium in gehennam cruciandas detrudi: eſt tamen Fidei dogma, ſtatim ac a corporibus exeunt, judicari, & damnari, judicio ſcilicet particulari. Id quod hic etiam S. Chryſoſtomus innuit, & expreſſe ſacri Theologi paſſim docent.

Digitized by Google

tificii formas novit, quam multas sceleratus ille hostis novit. Qua quidem in parte major illius vis, ac potentia inest: neque inimicitias quis tantas, tamque implacabiles adversus hostes sibi infensissimos gerere, potest, quantas ille adversus humanam naturam gerit.

IV. Porro siquis examinet quanta cum crudelitate is depugnet, ridiculum certe fuerit homines hoc in loco conferre. Sin iracundissimas, ac truculentissimas quasque feras delegeris, quas cum hujus furore, atque insania conferas; revera mansuetissimas, humanissimasque eas a comparatione comperies: tantum ille in animas nostras furorem spirans conjicit. Adde quod & pugnæ inter homines gestæ tempus breve quidem esse solet: qua etiam in temporis brevitate multæ dantur induciæ. Nam & natura ipsa sic comparatum videmus, ut & noctis superventus, & jugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi respirandi potestatem sic faciant, ut & armaturam exuere, tum vero paulum respirare, seque & cibo, & potu reficere, multisque rebus aliis pristinas vires recuperare valeat: adversus diabolum vero dimicanti numquam licet arma ipsa ponere, somnumve ullum (*a*) capere, ei præsertim, qui perpetuo invulneratus, prælio excedere volet.

V. Ex duobus enim necessario alterum consequitur, ut aut cadat quis, ac pereat armis spoliatus; aut continenter vigilet, armatusque stet. Siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras

(*a*) Vigilandum nobis, quia adversarius noster diabolus circuit quærens quem devoret, in Epistola sua 1. cap. 5. S. Petrus admonet; *Excubandum est itaque*, ait S. Cyprianus in libro de zelo, & livore, *atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sævienti, & jacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti, & vulnerari possumus, dirigenti, sollicita, & plena vigilantia repugnemus.*

noſtras obſervans, ac majus quidem afferens ſtudium ad noſtram internicionem, quam ad noſtram ipſi nos ſalutem afferamus. Poſtremo, ut ſemel finiam, quod a nobis hoſtis ille minime cernatur, quodque derepente, atque improviſo nos adoriatur (quæ res iis ipſis, qui non aſſidue in excubiis vigilantes fuerint, infinitorum malorum cauſa eſſe ſolet) facit nimirum, ut bello hoc ægrius ipſe, ac majore cum negotio, quam illo defungi poſſis.

VI. In hoc ergo campo voluiſti nos Chriſti militibus duces eſſe? Hoc ipſum vero quid aliud erat, quam diabolo potius duces eſſe: quum enim is qui cæteros ipſe debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis inſtruere, omnium ſimul infirmiſſimus, ſimul imperitiſſimus fuerit; fit nimirum, ut ſuæ fidei creditos prodat, & diabolo magis, quam Chriſto ducem agat. Tu vero quid ingemiſcis, quid lacrymaris? Neque enim rerum noſtrarum conditio lamentatione, ſed gaudio potius, ac lætitia proſequenda.

VII. BASILIUS. Mea vero, inquit, non perinde ſe habet, quin potius infinitis digna eſt planctibus. Vix enim potui ipſe vel hactenus animadvertere, quo me malorum (a) detruſeris. Siquidem ad te ipſe eo ſolo nomine adieram, ut a te docerer, quid mihi tandem iis deinceps reſpondendum verbis tuis foret, qui te inſimularent: tu vero me ipſe jamandas,

(a) Eſſe Epiſcopatum rem plenam periculis, moleſtiiſque, fuſa hucuſque, ac eleganti Oratione in hiſce aureis de Sacerdotio libris, oſtendit Chryſoſtomus, fateturque hic etiam Baſilius, & alii paſſim pii ac docti Eccleſiæ Patres. Dolet nihilominus S. Gregorius Nazianzenus Oratione ſua ad Patrem, cum ei curam Eccleſiæ Nazianzenæ commiſiſſet, multorum Antiſtitum vitio factum eſſe, ut Epiſcopatus dignitas, ampla, & regia, ac ſingularis cujuſdam voluptatis plena eſſe judicetur.

Digitized by Google

das, curam aliam pro alia mihi injiciens. Neque enim ſolicitus jam ſum, qua te ego apud illos, verum qua tum me ipſum, tum delicta mea apud Deum defeſione, excuſationeque tuear. Atque abs te ipſe iterum atque iterum peto & contendo, ſiqua tibi rerum mearum cura, ſiqua in Chriſto conſolatio, ſiquod dilectionis ſolatium, ſiqua viſcera, & commiſerationes eſſe poſſunt, (ipſe enim noſti, tua potiſſimum opera me in hocce adductum periculum) manum mihi auxiliatricem porrigas, ea deinceps in gratiam meam apud me tum dicens, tum faciens, quibus vita mea (a) corrigi, atque emendari poſſit, neu tute, quæſo, vel breviſſimum temporis momentum nos deras: quinimo ſit tibi hoc ipſo magis tempore, quam antea commune nobiſcum conſortium, atque contubernium.

VIII.

(a) Monitores duos ab Epiſcopo adhibendos, Sacerdotes pietatis zelo flagrantes, ſpiritualique uſu peritos, ac prudentes, ſtatuit in ſuo Concilio Mediolanenſi Provinciali VI. Sanctus Carolus, cap. inſcripto, *De Epiſcopo, Epiſcopali juriſdictione, & foro*, ubi de ipſorum officio hæc habet: *Quorum Sacerdotum officium in primis ſit, Epiſcopum aſſidue omni charitate, & humilitate, omnique debitæ obſervantiæ officio privatim ſincere admonere, quicquid in eo vel deſiderari, vel opus eſſe viderint, cum ad omnis diſciplinæ, tum vero ad ſacri Tridentini, noſtrorumque Provincialium Conciliorum perfectam, atque abſolutam executionem.* His non contentus Sapientiſſimus Præſul, illud quoque ſtatuit, ut ob eam etiam cauſam Epiſcopus quiſque aliquem Provinciæ Epiſcopum deligat, quicum aliquando per literas paſtoralis adminiſtrationis ſuæ rationes, conſilia, omnemque Eccleſiæ ſibi commiſſæ bene gerendæ modum familiariter communicet, ita ut hoc ſubſidio ſibi in omni deliberatione, atque actione opem, atque adjumentum paret. Optimum ſane Conſilium, quod tamen non pauci Præſules in ſui ipſorum, ac gregis detrimentum negligunt, & quod minime ferendum eſt, loco Monitorum, nonnulli etiam palpatores, ſive etiam his pejores apud ſe habere geſtiunt. Id quod Chriſtiano populo ſcandalum affert.

Digitized by Google

VIII. CHRYSOSTOMUS. Ego autem ad verba iſta ſubridens, at quanam, inquam, tibi in re Baſili uſui eſſe valeam? Qui te tanta negotiorum mole preſſum ſublevare, atque adjuvare poſſim? Enim vero quandoquidem tibi id gratum, acceptumque video, bono animo eſto ſuaviſſime Baſili. Id enim tempus omne, quo tibi a curis illis reſpirare dabitur, & tecum ipſe adero, & te conſolatione mea reficiam, quantum in me erit, nulla tibi in re defuturus. Quæ verba quum ille audiſſet, multo etiam quam antea magis illacrymans ſurgit. Hic ego illum amplexus, caputque deoſculatus deduco, hortans, uti generoſo fortique animo id omne perferat, quod accidiſſet. Talis enim, inquam, mea eſt in Chriſto, qui tibi ad ſe vocato ovium ſuarum curam commiſit, fides atque expectatio, ut tu tantam tibi olim ex hujuſmodi functione fiduciam apud illum comparaturus ſis, ut & meipſum in die illo periclitantem, eterni tui tabernaculi conſortem efficias.

FINIS.

Librorum ſex S. Joannis Chryſoſtomi De Sacerdotio.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google